INSTITUTIONES FUNDAMENTALES

LINGUAE ARABICAE.

INSTITUTIONES FUNDAMENTALES

LINGUAE ARABICAE

IN USUM JUVENTUTIS ACADEMICAE

EDITAE AB

HERMANNO ZSCHOKKE

C. R. CAPELLANO AULICO, S. S. THEOLOGIAE DOCTORE, LINGUARUM SEMITICARUM NEC NON BIBLICAE VETERIS FOEDERIS EXEGESEOS SUBLIMIORIS IN UNIVERSITATIS VINDOBONENSIS FACULTATE THEOLOGICA C. R. PROFESSORE PUBLICO ET HOSPITII AUSTRIACI HIEROSOLYMIS RECTORE EMERITO

VINDOBONAE MDCCCLXIX.

SUMTIBUS GUILELMI BRAUMÜLLER

BIBLIOPOLAE C. R. AULAE ET UNIVERSITATIS.

Lipsiae, Typis Guil. Drugulini.

REVERENDISSIMO

ILLUSTRISSIMO AC AMPLISSIMO

DOMINO DOMINO

JOANNI SCHWETZ

SUAE SANCTITATIS PRAELATO DOMESTICO, ABBATI B. M. V. DE BATTA, C. R. AULAE ET PALATII PAROCHO, S. S. THEOLOGIAE DOCTORI NEC NON THEOLOGIAE FUNDAMENTALIS AC DOGMATICAE IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSORI OPTIME EMERITO, C. R. SUBLIMIORIS PRESBYTERORUM EDUCATIONIS INSTITUTI AD S. AUGUSTINUM RECTORI SUPREMO, CONSILIARIO ECCLESIASTICO ARCHIDIOECESIS VINDOBONENSIS AC CONSILIARIO CONSISTORIALI ARCHIDIOECESIS OLOMUCENSIS ETC. ETC.

PRAEPOSITO SUO GRATIOSISSIMO

LIBELLUM HUNC IN GRATISSIMI ANIMI

ET PROFUNDISSIMAE VENERATIONIS SIGNUM

INSCRIBIT AC DEDICAT

DEVOTISSIMUS

HERMANNUS ZSCHOKKE.

BENEVOLE LECTOR!

Exemplaribus libri, quem clarissimus Dr. Andreas Oberleitner dialectorum semiticarum in Facultate theologica Universitatis Vindobonensis Professor pie emeritus in usum praelectionum in linguam arabicam academicarum ediderat, omnibus divenditis, valde necessarium duxi, ut tironibus auditorii hujusce linguae substratum aliquod exhiberetur, quo nixi levi celerique pede praelectiones sequi possent. Cum materia libri in talem usum destinati coarctata viva magistri voce amplianda sit et fusius explicanda, brevis esse volui, quin essentialia ac scitu necessaria omitterem; hinc plura exempla singulis regulis illustrandis apponere evitavi, quarum applicandarum in selectarum partium interpretatione, quae studium grammaticale immediate sequi solet, frequens data est facultas. Utile quid si huic libro insit, non tam meo ingenio debet, quam indefessis laboribus virorum, qui harum dialectarum cultores praecipui ac Maecenates jure praedicantur et quorum opera prelo edita nunquam non consultavi. Saepissime grammaticam criticam doctissimi Ewaldii inspexi, nonnulla e fundamentis Oberleitneri immutata retuli, alias

vero partes ibi fusius expositas, puta regulas literarum infirmarum, praeeunte Clarissimo Dr. Jos. Kaerle hujus cathedrae Magistro piissimae memoriae in systema simplicissimum redegi, quae rerum peritus haud difficulter reperiet.

Cum tirones linguam arabicam literalem addiscentes haud raro et laudabiliter scire desiderant, quamnam prae se ferat faciem lingua arabica vulgaris nunc in Oriente usitata et in quonam a literali discrepet, breviter appendicis tantum instar materiam hanc tangendo huic desiderio juventutis academicae satisfacere studui, quam appendicem excipiunt tabulae, quae verborum formarum ac flexionis prospectum exhibentes memoria sublevanda sat idoneae creduntur.

VIENNAE, in Festo Resurrectionis D. n. J. Chr. 1869.

AUCTOR.

INDEX.

PROLEGOMENA.

PARS PRIMA.

Elementa linguae et scripturae arabicae.

I. Caput: De lectione et orthographia.

II. Caput: De Consonantium et Vocalium permutationibus.

PARS SECUNDA.

Formarum doctrina.

PARS TERTIA.

SYNTAXIS.

IV. Caput: Syntaxis Praepositionum.

Sectio secunda. De enunciationum connexu.

I. De enunciatione simplici.

II. De enunciatione annexa.

APPENDIX.

De lingua arabica vulgari.

PROLEGOMENA.

1. De linguae arabicae historia.

Lingua arabica origine sua pertinet ad linguarum stirpem Semiticam, quae tres principaliores complectitur ramos eosque: Aramaicum (Chaldaicum et Syriacum), 2. Hebraicum (cum Phoeniciaco et Samaritano) et 3. Arabicum cum Aethiopico. Omnes has linguas ex uno fonte communi eoque simplici, cujus patria in Mesopotamia vel Aram sit quaerenda, prodiisse, inter doctos est receptum.

Si tum terra, in qua lingua aramaica erat vernacula, tum ejusdem qualitates considerantur, patet, hanc linguam vel ipsam originalem fontemque reliquarum fuisse, vel archetypo stirpis linguarum semiticae proxime accessisse; nam lingua chaldaica ceterarum simplicissima est iisque minus exculta, ad quam prope accedit lingua syriaca. Magis jam exculta prodiit lingua hebraea, quae linguam aramaeam inter et arabicam medium tenet locum; hanc enim ut cultissimam nulla e reliquis dialectis aequat, sive formarum copia et vocum ubertas, sive vocum juncturae concinnitas pulchra et perspicua spectetur. Joctan*), vel Cachtan nominatus, filius

*) Gen. 10, 25.

Heber, pater Arabum proprie dictorum fuisse censetur, quem lingua arabica jam fuisse usum eruditi credunt.*) Cum ex illo tempore nulla linguae arabicae monumenta praesto sint, hujus antiquissimae linguae facies quae fuerit, doceri nequit; suspicari autem licet, eam olim simpliciorem et minus cultam ideoque linguae hebraeae fuisse similiorem, e qua forma antiquiore paulatim inde a saeculo sexto arabismus interna quadam necessitate cogente, cum ex origine sua lingua haec jam culturae capacissima, dives, nervosa, volubilisque esset, ad miram concinnitatem et pulchritudinem emersit.**)

Quamvis lingua arabica exculta ceteris semiticis in multis praecellit virtutibus, tamen hebraeâ multo est recentior; linguae enim juvenilis vestigia multa sunt abolita. Per Coranum potissimum nobilitata et per totam, qua late patet, Arabiam divulgata, non ubique lingua haec sibi constans erat et aequabilis, sed in ingentes dialectos diffluebat.***)

Prae reliquis nominari censentur dialectus Ḥimjarensium seu Ḥomeritarum et dein Coraischitarum. Terra Coraischitarum tribus Arabum nobilioris, qui mercaturae causa cum populis finitimis inierant societates, centrum religiosum et politicum totius populi arabici erat; nam Caaba templum seu sanctuarium Arabum palmare quotannis peregrinos innumeros ex omnibus terrae tractibus, in quibus religio zabica dominans erat, convocavit. Si duae praecipuae Arabum virtutes celebrantur eaeque fortitudo hospitalitasque, non immerito eorum stu-

*) Pococke specim. hist. arab. pg. 335 sq. De Sacy Excerpta ex Albuf. pg. 548. Oxf. 1806. Ewald isrl. Geschichte I. 368. Gött. 1864.

**) cf. Freytag Einl. in d. Stud. d. arab. Sprache. Bonn 1861. S. 40 ff.

***) Freytag l. c. pag. 64 — de Sacy chrestom. I, 406. Par. 1806.

dium literarum seu scientiarum amor tertium occupat locum; nam ipsi principes literis vacare non dedignabantur. Saeculo p. Ch. sexto Ochad locus concilii erat, ubi Olympiorum instar de laurea adipiscenda concertabant scientiae cultores. Carmina, quae applausus universalis digna reputaverat laureâ, literis aureatis in serico imprimebantur et solemniter ornamenti gratia in sanctuario Meccae parietibus affigebantur ideoque Elmoṣahabât (colorata) aut Elmoâllakât (suspensa) appellata, quorum septem prae reliquis sunt nota et celeberrima. Cum saeculo sequente Muhammedes, religionis reformator, Coranum conscripsisset hac in dialecto, ipsa potita est universali privilegio et abhinc facta est dominans in libris et in ore. Periodus haec ante Muhammedem, qua poësis maxime floruit, cui historia, genealogia, amor et vita pastoricia sunt juncta, merito linguae arabicae aetas aurea est appellanda.

Abhinc Muhammedis tempore et praeprimis Corani conceptione lingua arabica initium deflectendi coepit; Coranus enim tanquam liber divinae revelationis, a Muhammede et ab ejus asseclis qua opus divinum idque perfectissimum celebrabatur, de cujus scribendi et concipiendi modo deflectere nefas erat, quamvis longe abesset, ut Coranus interna et externa gauderet perfectione, ut farrago ex minus honestis et multis malis, plebejis, indecentibus expressionibus esset compilata. Ast Coranus non solus erat linguae ruinae auctor. Arabes novae religionis zelantes populis finitimis intulerunt bella gravissima, quae teste experientia Musis minime favent; ipsi quidem aliis in terris multa didicerunt et omnibus scientiae generibus, uti: Philosophiae, Mathematicae, Astrologiae etc. se dederunt, gloriam autem aevi aurei minime poterant amplius adipisci eorum doctores. Imitatio elementi peregrini, cultura Corani caeca nec non admixtio serioris literaturae

primum jecerunt literarum Arabum ruinae lapidem; in hanc aetatem argenteam referenda est prosa arabica, quae maxime verborum pompa infirmabatur. Abhinc sequitur aevum aeneum ferreumque literaturae arabicae; praecipuum, quod inde a saeculo post Ch. decimo linguae detrimentum fluxit, erat hoc, quod vocales rapidius confusiusque pronunciari vocemque finientes breves prorsus abjici coeperunt.

Quamvis lingua arabica a pristino splendore et elegantia concinna multum deflecteret, nihilominus tamen in sua substantia, mirabile dictu! semper erat et est eadem; causae hujus constantiae et uniformitatis ex sequentibus deducuntur:

1. Gens araba semper erat ab aliis seclusa, nunquam admisit elementum externum ne in matrimonio quidem; gloriantur Arabes non immerito antiquitate immixta, quo facto et ipsa lingua semper exstitit pura et influxui externo impervia.

2. Semper eodem religionis communis vinculo obstringebantur Arabes; ante Muhammedis tempora religio Zabaea dominabatur, abhinc prophetâ dominium capessivit Islamismus.

3. Quod lingua hujus gentis omnium saeculorum fatis restiterit semperque manserit integra, praecipue in eo est quaerendum, quod Arabes semper fuerint integri in patria sua exterorumque jugo nunquam obnoxii; Persi, Parthi, Graeci et Romani Arabiae terrarum avidi et cupidi quidem erant, nullo autem tempore arma eorum victricia internam propriamque Arabiam penetrarunt. Hanc suam vere innatam libertatem ad nostra usque tempora sibi vindicarunt Arabes sub scenis degentes (Beduinae), quorum est libere nasci, libere vivere et mori libere.

Hinc non tantum lingua in sua essentia, imo et pronunciatio literarum diversarum articulata semper exstitit immutata; quo modo Arabes antiquarum traditionum sunt tenaces, eodem modo et linguae. Etsi denique multae voces exoticae*) linguae thesaurum labente tempore locupletaverint, nunquam tamen linguam arabicam obfuscarunt, quia qua. Barbarismi consideratae lingua e natura divite minime praevalebant.

Not. a. Per Coraischitas lingua arabica est illata Asiae regionibus aliis, uti Mesopotamiae, Syriae et Palaestinae, e quibus per temporis successum linguae vernaculae i. e. chaldaica et syriaca sunt expulsae. Praeter Asiae regiones hac lingua usi sunt populi regionem septentrionalem Aegypti et Africae inhabitantes; imo per aliquot temporis in ipsa Hispania lingua arabica erat vernacula. Nostris diebus lingua arabica vulgari utuntur populi Syriae, Palaestinae, totius Arabiae, nec non Aegypti et Africae septentrionalis.

Not. b. Origo vocis „Arab“ dubia est; designat in lingua hebraca עֲרָב vel עֲרָבָה proprie desertum generaliter**), a septimo demum saeculo tractum peninsulae arabicae (Jes. 21, 13) desertum specialiter nec non sensu translato incolas hujus tractus, i. e. Arabes deserticolas, urbes haud incolentes (Jes. 13. 20. Jerem. 25, 24). Hinc عَرَبٌ vel collectivum أَعْرَابٌ jam in Corano Sur. 9, 92—103; 48, 11, 16; 49, 14. usurpatur. Serius vox العرب (Alárab) generatim Arabes designat in in distinctionem vocis الاعرب (Alaárab) vel الاعرابىّ, qua Arabes Nomades seu Scenitae vocantur. Gentes ab Israële descendentes, quae in Arabiam immigrabant et cum Arabibus natis se miscebant, a scriptoribus عرب المستعربة i. e. Arabes facti nominantur.***)

---

*) Freytag, l. c. pag. 54 seq.

**) Jerem. 2, 6; 50, 12. Jes. 33, 9.

***) Conf. Reiske ad Abulf. Tom. II. p. 180—190. Lips. Freytag l. c. pag. 17 seq.

2. De scripturae arabicae fatis.

Historia scripturae arabicae ob monumentorum defectum difficultatibus haud caret; cum scriptura culturae nec non characteri alicujus populi correspondet, eam inter Arabes cultiores urbesque incolentes prius in usu fuisse, quam inter tribus Nomadum patet. In Arabia felice seu Jemen antiquitus jam usitata erat scriptura, quae ab Ḥimjaritis,*) populo potente et culto, scripta ḥimjaritica اَلْقَلَمُ ٱلْحِمْيَرِىّ est nominata et usque ad Muhammedis tempora floruisse videtur; cujus vero indolis haec scriptura fuerit, definiri nequit, quia vix illius reliquiae supersint, nisi quod scripturae aethiopicae vicinae eam cognatam fuisse suspicatur. Praeter hanc scribendi rationem alia rursus Hirae imprimis et Anbari, oppidis mercatura illustribus, utebantur Arabes, quae toto in habitu scripturae syriacae, cui et situ terrae proxima fuit, similis erat. Ab Hirensibus brevi ante Muhammedem natum hujus scripturae usus ad tribum Coraisch est propagatus, quae cum Corano integro describendo inserviret, mox in omnes Arabiae tractus est illata eo cum successu, ut reliquis scribendi Arabum generibus obliteratis sola maneret dominans, cui successit aliud scripturae genus Cuficum appellatum a Cufa, urbe Iracae sive Chaldaeae ad Euphratem sita et illustri, quod inde magis excultum fuisse fertur,**) literis constans quidem junctis, ast crassioribus et majoribus; specimina hujus scribendi generis, quod per trecentos annos floruit, in quibusdam sepulcrorum monumentis et nummis usque ad septimum post Muhammedem saeculum ac in titulis librorum Africanorum ad nostra usque tempora perdurarunt. Paulo tamen Arabes

*) Ḥimjaritae ab Ḥimjar ben Saba, qui primus Arabum rex fuisse et a vestimentis rubris (حمرة) nomen suum recepisse fertur, derivantur. cf. Freytag l. c. pag. 109 seq.

**) Adlerii Descriptio Codd. quord. Cuficor. etc. Alton. 1780.

venustae scribendi rationis amantissimi figuras literarum Cuficarum volubiliores elegantioresque efficere conabantur, quo facto literae arabicae recentes enatae sunt, quae نِسْخِى Neschi (i. e. libris describendis idoneae a نَسَخَ descripsit librum) vulgo appellantur et inde a saeculo quarto Hegirae seu saeculo undecimo aerae christianae inter Arabes aeque ac in typographiis Europaeis usitatae sunt.

Scriptura cufica aeque ac scriptura antiqua Syriaca στρόγγυλα (rotunda) dicta, e qua illa enata est, constabat literis XXII. Cum autem in scriptura Neschi festinantiore et conjunctiore plurium literarum ductus negligentius et brevius picti confunderentur, signis quibusdam literis similibus appictis succurrendum esse viderunt Islamismi scriptores, quibus signis serius et utebantur ad duplicem pronunciationem puriorem ac duriorem, quam nactae sunt sex literae ت, ح, د, ص, ط et ع, distinguendam, quo facto alphabetum vetustum numero sex literarum est auctum ideoque literas numero XXVIII complectitur. A quo et quando haec signa diacritica sint introducta, non satis constat. In Cuficis reliquiis et in primis Corani exemplaribus prophetae et Chalifarum priorum tempore nulla signa apparent; quadraginta vero Islamismi annis elapsis signa diacritica paulatim sunt aspersa, quo tempore et vocalium signa introducta sunt, ut una ex parte Corani dictio obscura et ambigua dilucidaretur, altera autem ex parte externis et peregrinis linguae ignaris studium linguae facilius redderetur. Colore tamen diverso additamenta haec distinguere visum est, et quidem vocalium signa rubro, diacritica vero colore atro. Hic signorum usus initio semper cum cautela adhibebatur, quia contra prophetae Chalifarumque piorum et morem et scientiam introductus esse credebatur, paulatim vero in omnibus Corani exemplaribus invaluit. In

ceteris scriptis vitae vulgaris, in epistolis etc. scribae Arabici iis aut omnino abstinuerunt aut rarissime ibi sunt usi, ubi sensui obscuro et ambiguo, v. g. in poëmatis difficilioribus succurrere maxime videbatur necessarium; hinc et Arabes nostris temporibus a signis scribendis se abstinent.

3. De studio linguae arabicae grammatico.

a) Proxima studii grammatici tractandi causa in ipso Corano erat sita, cum enim linguam Corani sanctam a peregrinis conversis nec non ipsis Arabibus mixtis pessime et legi et pronunciari ac intelligi viderent, mox primas grammaticae leges iis explicandas scriptoque mandandas esse linguae arabicae grammatici intelligebant; praeprimis scholae Bacrenses et Cufenses inclaruerunt. Hinc ingens ortus est grammaticarum omnis generis numerus; alii enim grammaticam integram vel partes potiores scriptis illustrabant, alii de Corani virtutibus et vitiis disserebant signaque diacritica explicabant, alii de literarum pronunciatione pura praecipiebant, alii commentarios in Coranum et poëtas celebres scribebant. Ista opera grammaticalia ab auctoribus orientalibus edita collegit et enumerat Zenker.*)

b) Praeter Arabes excoluerunt grammaticam arabicam et Christiani, et quidem prioribus saeculis studium hoc tractabatur ad explendum munus, Muhammedanos convertendi ad religionem christianam. Seriori tempore studium linguae arabicae praeprimis Instrumentis A. et N.F. intimius dilucidandis necessarium et utile est cognitum. Hinc ingens operum grammaticalium ab Occidentalibus editorum numerus (circa (130) est explicandus, quae nominatim recenset Zenker.**) Nóminari merentur:

*) Bibliotheca oriental. Lipsiae 1846. Tom. I. p. 18—22 et Tom. II. p. 10—15.

**) l. c. Tom. I. pg. 22—34. et Tom. II. pg. 15—17.

Agapiti Flores grammaticales arab. idiom. Romae 1845.
Fessler instit. ling. orientl. Hallae 1817.
J. Vater manuale gram. syr. chald. et arab. Lips. 1817.
Erpenii grammatica arab. Lugd. 1613.
J. Jahn arab. Sprachlehre. Wien. 1796.
An. Arydae Institut. gram. arab. Viennae 1813.
And. Oberleitner Fundam. ling. arab. Viennae 1822.
Rosenmüller Instit. ad fundam. ling. arab. Lips. 1818.
De Sacy Grammaire arabe. Paris 1810.
Ewald Grammatica critica ling. arab. 2 Tom. Lipsiae 1831.
Tychsen Grammatik d. arab. Schriftsprache. Götting. 1823.
Caspari Grammatik der arab. Sprache 3. Aufl. Leipzig 1866.
Kurzgefasste Grammatik der arab. Sprache. Regensburg 1854 (Uebersetzung der Oberleitn. Grammatik).

Quoad Lexicographiam*) nominari merentur:

a) Jac. Golii Lexicon arabico-latinum Lugdun. 1653. fol. (excerptum fuit a Jac. Scheidio Lugdun. 2. ed. 1787).

b) Georg. W. Freytagii Lexicon arabico-latinum. 4 vol. 1830—1837. Halis; et excerptum. 1 vol. Hal. 1837.

c) J. Willmet Lexicon ling. arab. in Coranum, Haririum etc. Roterodami 1784.

4. De divisione Grammaticae.

Ratio leges grammaticales exponendi et dividendi consequitur e tribus integris uniuscujusque linguae partibus iisque a) vocum elementis, b) vocum formis et c) vocum ordine seu syntaxi; hinc

*) Zenker l. c. Tom. I pag. 5—10 et Tom. II pag. 2—5.

Pars prima agere debet de elementis linguae generatim, i. e. de literis earumque characteribus, de signis scribendi, de junctura literarum ejusque legibus.

Pars secunda amplectitur singularum orationis partium seu formarum leges; hinc tractat de Pronomine, Verbo, Nomine et Particulis.

Pars tertia respicit doctrinam, quae leges, secundum quas singulae orationis partes in enunciationem conjungi possunt et debent, exponit i. e. syntaxim.

PARS PRIMA.

Elementa linguae et scripturae arabicae.

I. CAPUT.

De lectione et orthographia.

§ 1. De Consonantibus earumque figuris et nominibus.

Alphabetum Arabum vulgare viginti octo literas easque Consonantes tantum continet, quae a dextra sinistrorsum scribendae sunt et legendae; pro loci diversitate, quem in dictione obtinent, figura literarum nonnullarum nonnihil variat; aliam enim habet figuram litera absoluta et separata, aliam litera initialis sequenti annexa, aliam mediana, quae utrimque, et finalis, quae praecedenti soli annectitur. Sequuntur nomina, figurae, potestas et transscriptio literarum in tabula, quibus singulis appositae sunt literae Syriacae et Hebraicae correspondentes nec non valor numeralis.

Ordo.	Nomina.	Figurae. Absol.	Initial.	Median.	Final.	Potestas.	Transscriptio.	Respondet apud Syros	Hebraeos	Valor numeralis.
1	أَلِفٌ Alef (Elif)	ا	. . .	ـا	. . .	Spiritus lenis	a, ʾ	ܐ	א	1
2	بَآءٌ Be	ب	بـ	ـبـ	ـب	B	b	ܒ	ב	2
3	تَآءٌ Te	ت	تـ	ـتـ	ـت	T	t	ܬ	ת	400
4	ثَآءٌ Ṯe	ث	ثـ	ـثـ	ـث	Ths	ṯ	—	ת̇	500
5	جِيمٌ Ǵim	ج	جـ	ـجـ	ـج	Dsch, Dj	ǵ	ܓ	ג̇	3
6	حَآءٌ Ḥa	ح	حـ	ـحـ	ـح	Hh	ḥ	ܚ	ח	8
7	خَآءٌ Cha	خ	خـ	ـخـ	ـخ	Ch	ch, ḫ	ܚ̇	ח̇	600
8	دَالٌ Dal	د	. . .	ـد	. . .	D	d	ܕ	ד	4
9	ذَالٌ Dsal	ذ	. . .	ـذ	. . .	Ds	ḏ, s̱	ܕ	ד̇	700
10	رَآءٌ Re	ر	. . .	ـر	. . .	R	r	ܪ	ר	200
11	زَآءٌ Zain	ز	. . .	ـز	. . .	ζ graecor.	z, s̱	ܙ	ז	7
12	سِينٌ Sin	س	سـ	ـسـ	ـس	S	s	ܣ	ס	60
13	شِينٌ Schin	ش	شـ	ـشـ	ـش	Sch	ś	ܫ	ש	300
14	صَادٌ Ṣad	ص	صـ	ـصـ	ـص	Ss	ṣ	ܨ	צ	90
15	ضَادٌ Ḍad	ض	ضـ	ـضـ	ـض	Dd	ḍ	ܨ̇	צ̇	800
16	طَآءٌ Ṭa	ط	طـ	ـطـ	ـط	Tt	ṭ	ܛ	ט	9
17	ظَآءٌ Ẓa	ظ	ظـ	ـظـ	ـظ	Zz	ẓ	ܛ̇	ט̇	900
18	عَيْنٌ Ain	ع	عـ	ـعـ	ـع	—	ʿ	ܥ	ע	70
19	غَيْنٌ Ġain	غ	غـ	ـغـ	ـغ	—	ġ	—	—	1000
20	فَآءٌ Fe	ف	فـ	ـفـ	ـف	F	f	ܦ	פ	80

Ordo.	Nomina.	Figurae.				Potestas.	Transscriptio.	Respondet apud		Valor numeralis.
		Absol.	Initial.	Median.	Final.			Syros	Hebraeos	
21	قاف Ḳaf	ق	قـ	ـقـ	ـق	Kk	ḳ	ܩ	ק	100
22	كاف Kaf	ك	كـ	ـكـ	ـك	K	k	ܟ	כ	20
23	لام Lam	ل	لـ	ـلـ	ـل	L	l	ܠ	ל	30
24	ميم Mim	م	مـ	ـمـ	ـم	M	m	ܡ	מ	40
25	نون Nun	ن	نـ	ـنـ	ـن	N	n	ܢ	נ	50
26	هَا He	ه ة	هـ	ـهـ	ـه	H	h	ܗ	ה	5
27	واو Waw	و	. . .	ـو	. . .	W	u, w	ܘ	ו	6
28	يَا Je	ى	يـ	ـيـ	ـى	J	j, i	ܝ	י	10

Nota. Arabes literas ل et ا simul junctas = لا لا (Lam-Elif) in ordine alphabetico post ultimam ى qua literam 29. apponere solent.

Adnotanda.

1. Quamvis in alphabeto arabico numero viginti et octo sint literae, tamen quatuordecim nonnisi figurae diversae sunt notandae, quae ab invicem per puncta superne vel inferne posita distinguuntur. Similem formam habent:

ب	ح	د	ر	س	ص	ط	ع	ڡ
ت	ج	ذ	ز	ش	ض	ظ	غ	ف
ث	خ							ق
ن								

Not. a. Omnes literae hae utraque parte connecti possunt exceptis sex: ا, د, ذ, ر, ز et و, quae antecedenti tantum literae annectuntur; non raro tamen literae د, ذ, ر, ز adnectuntur sequenti ه in fine dictionis tali modo ـدﻪ, ـرﻪ. In codicibus manuscriptis literae

ligabiles ita connectuntur, ut a tironibus aegre tantum distingnantur, v. g. ﺠ = b et ǵ, ﻠﻤ = l et m, ﺤﺠ = ḥ et ǵ, ﻜﻤﺎ = k, m et a, ﻴﺤ = j et ḥ etc.

Not. b. Literae finales ف, ق, ن et ى in manuscriptis saepe punctis sunt destitutae, cum vix inter se possint confundi; in ن et ى est ratio evidens; quoad alias duas ف basi lineae incumbere debet, dum linea incurva literae ق infra linea protrahitur; in multis tamen libris discrimen illnd haud observatur.

Not. c. Exceptis omnibus fere literis finalibus et و, ﺠ, ر, ز, quae infra lineam protrahuntur, reliquae basi lineae incumbentes snper illam tantum extolluntur; qnoties ergo plnres ejusmodi literae secum conjungi debent, elevandae sunt priores, ne ultima illarum infra lineam deprimatur, v. g. اَلْبَحْرُ mare, حَجَرٌ lapis.

2. Ut figura et numerus, ita ordo literarum ex origine idem erat, qui Syris et Hebraeis. Ordinis hujus primitivi vestigia sunt servata tum in literarum valore numerali, tum in reliqua dies hebdomadis significandi consuetudine. Ordinem hunc pervetustum grammatici Orientales praeprimis Asiatici et Aegyptii aucto alphabeto inverterunt medio aevo, cum literas aut figura similes aut pronunciatione vicinas copularent; sic post ب positae sunt ت ث ob figuram similem, similiter literae ج subjunctae ح, خ; ob soni similitudinem sequuntur literam ر literae س, ش hasque soni vicini ص, ض, ط, ظ.

Not. a. Majusculis literis ad nomina propria distinguenda Arabes carent; nonnunquam inscriptiones librorum majori literarnm forma, quam reliquum textum exarare solent.

Not. b. Vocabula, qnae in fine lineae non satis habent spatii, non resecantur, sed pars ista snpra vocabulnm snum ponitur, vel in angulo ascendit ad marginem, aut ultimae vocabuli literae producuntur seu dilatantur, id quod in principio aut medio vocum ornamenti gratia saepius obtinet, praeprimis in formula trita, qua singulae Corani Surae incipiunt: بِسْمِ اللّٰهِ الرَّحْمٰنِ الرَّحِيمِ.

3. Nomina literarum technica sunt varieque decurtata, uti Ǵim, Dal, Lam; terminatio eorum in „on" more reliquorum nominum a nobis sicut ab ipsis Arabibus brevitatis causa negligitur.

§ 2. De Consonantium potestate et divisione.

1. Literarum in pronunciatione potestas jam in tabula est expressa, literae omnes sono bene sunt distinctae; est enim Arabum pronunciatio, uti reliquorum Orientalium stirpis semiticae, maxime subtilis, fortis, diligens et distincta, quae distinctio saepe ab aliis nationibus haud animadvertitur et nonnisi viva magistri voce satis exprimi potest.

ا Elif est levis aspiratio, qualis est spiritus lenis Graecorum aut Gallicum h non aspiratum in „homme"; hinc non percipitur nisi cum vocali, qua effertur.

ث pronunciatur ut Graecorum ϑ et th Anglorum interposito nimirum linguae mucrone inter utramque dentium seriem, ut sonet quasi ths praesonante literae s sono; vulgo tamen Arabes hanc literam uti ت pronunciant.

ج sonat ut Italorum g ante e et i; Aegyptii illam pronuntiant ut ג Hebraeorum.

Maxima attentione dignae sunt literae gutturales ء, ح, خ, ع, غ e gutture procedentes, quarum pronunciatio Europaeis praecipue est difficilis.

ح litera emphatica omnium difficillima pronunciatur cum purissima aspiratione, qua elicitur ab imo gutturis et pectoris initio = hh.

خ effertur ut χ Graecorum et ch Germanorum praecedente vocali a, v. g. in „Rache", et quidem magna cum vehementia elicitur sonus e medio gutturis cum tremulatione mixtus quasi cum litera r.

ع e medio effertur gutturis fortiter compressi trudendo nempe ejus infernam partem contra superiorem, ut ע Hebraeorum.

غ ex imo dilatatoque gutture cum r immixto pronunciatur.

ة effertur uti h Germanorum et spiritui aspero Graecorum respondet; in fine dictionis, cum duo puncta superposita habet (ـة ة), sonat t, quoties autem in medio ponitur, scribitur ut ت, v. g. رَحْمَتُهُ misericordia ejus.

ذ pronunciatur sicut δ Graecorum interposita linguae extremitate inter utramque dentium seriem admixto s.

ز convenit cum ζ Graecorum, z Gallorum et s Germanorum; س autem cum ß Germanorum.

ش est Gallorum ch, Anglorum sh, Germanorum sch.

ص valet ss fortiter pronunciatum et

ظ cum mussitatione quadam prolatum zz.

Inter ط et ض subtilis est distinctio; ض = dd fortius prolatum, et ط = tt, quarum recta pronunciatio inter Arabes est character indigenae orientalis.

ق est k gutturalis seu fortis, dum ك lenius suaviusque effertur.

و pronunciatur ut u (ou Gallorum) vel w Germanorum.

ي ante vocales habet sonum j, si vero consonantem sequitur, valet Latinorum i.

ن cum vocali semper convenit n Latinorum, vocali autem destituta

α) ante ب sonet m, v. g. عَنْبَرٌ âmbaron, confer Graecorum σύμβολον pro σύνβολον et Latinorum imbibo pro inbibo.

β) ante literas لومير non pronunciatur geminatâ tamen literâ sequenti, v. g. مِنْ رَبٍّ = mer-rabben; cf. ἐλλείχω pro ἐνλείχω, immunis pro inmunis.

Not. a. Literae ص, ض, ط, ظ et ق vocantur emphaticae oppositae lenibus س, د, ت, ز et ك, quia multo majori cum emphasi quam lenes proferuntur.

Not. b. Transcriptio in tabula notata inter doctos usitatissima est, praeprimis a Germanis (in der deutsch-morgenländischen Gesellschaft) recepta.

2. Divisionem literarum quod attinet, haec multiplici potest institui ratione:

a) ratione pronunciationis dividuntur:

α) in gutturales: ا ح خ ع غ ه

β) in labiales: ب ف م و

γ) in palatinas: ج ق ك ى

δ) in dentales: د ت ط ذ ث ظ et

ε) in linguales: ر ز س ش ص ض;

b) ratione roboris in debiles seu infirmas ا و ى, et in robustas;

c) ratione officii in radicales, quae ipsam radicem constituunt, et serviles, quae formis formandis inserviunt;

d) ratione speciali in solares et lunares sic appellatas, quia casu nomen solis شَمْس unâ illarum ش, et nomen lunae قَمَر una harum incipit;

solares sunt: ت, ث, د, ذ, ر, ز, س, ش, ص, ض, ط, ظ, ن, ل,

lunares omnes reliquae.

Not. Reliquas divisiones omittimus; vide Rosenmüller Institut. ling. arab. Lips. 1818, pg. 17.

§ 3. De Vocalibus.

1. Ex analogia ceterarum linguarum semiticae stirpis elucet, initio fuisse tres vocales primitivas, quarum soni proximi fuerunt a, i, u manseruntque in Arabum sermone aeque ac in Sanscrito satis puri et integri. Coalescente a cum i vel u enatae sunt diphthongi ai et au. His tribus Vocalibus correspondent et tres literae infirmae و, ى, ا seu debiles, quae non semper stabiles qua Consonantes persistunt sed ab influxu externo sic dependent, ut non raro naturam consonantium amittant et qua vocales pronuncientur, qua e causa et semivocales vocantur; ea enim est semivocalium و, ى, ا natura, ut in vocales suas a, i, u resolvi et vice versa hae

invitante pronunciationis facilitate in consonantes و, ي, ا possint dissolvi.

2. Vocalium trium id est **discrimen**, ut vocalis a sit omnium proxima et fortissima, cujus sonus omnino per totam linguam praevalet. Ipsi opponuntur vocales i et u sibi invicem viciniores, quarum i iterum est subtilior et pressior, u autem obscurior pleniorque. Tres illae vocales mira manserunt integritate et puritate longiore tempore in lingua arabica, quam in reliquis linguis semiticis; labente autem lingua vocales primitivae fortioresque in molliores lenioresque detritae abierunt, ita ut a in e, i et u in e et o transirent, diphthongi vero in sonos longos simplicioresque aî et ô diffluerent.

3. Vocalium denotandarum necessitatem primitus, quando lingua erat viva et vernacula, minus esse sensam, ex superius dictis apparet; cum autem literae infirmae naturâ sua iam ad vocalium sonos inclinarent, illae vocalibus signandis inserviebant. Verum est, vocalem a ab initio parcissime fuisse expressam litera ا, quod ex monumentis antiquitatis plurimis patet, nec vocales breves in scriptura literis denotatae sunt, quippe quae tenuiores et ad sensum minus graves videntur; cum autem vocales accuratius scripto notare placeret, ut tum breves perspicue, tum longae distinctius constantiusque notatae apparerent, literis vocalium loco puncta adscribebantur. Sic in antiquissimis hujus scripturae vestigiis, Coranos puta cuficos, unum punctum rubrum plerumque vel flavum diverso loco secundum diversum sonum positum apparet, supra literam a denotans, infra eam i, post eam vel in media linea u significans, quod signum, cum puncta serius consonantium pronunciationi accuratius distinguendae inservire coeperunt, paulatim cessit aliis signis nunc usitatis, lineae scilicet supra literam positae, ut a, infra eam, ut i signaret, u vero ipso parvo و signo superscripto denotatum; quibus signis deinceps Grammatici nomina imposuerunt e soni iis expressi naturâ derivata;

hinc ـَ est a فَتْحَة Fatḥa (apertio oris),

ـِ „ e كَسْرَة Kasra (Kesra fractio oris),

et ـُ „ u ضَمَّة Ḍamma (contractio oris).

Nota. Signa vocalium haec أَلْحَرَكَاتُ i. e. Motiones vocantur, quia per illa Consonantes motae sonum edunt; Consonantibus mobilibus oppositae sunt quiescentes.

4) Sed haec vocalium pronunciatio pura et fortis non semper per omnia saecula fuit servata. Per ingentem temporis, terrarum hominumque varietatem varie pronunciatae sunt vocales. Arabes recentiores, ast non omnes molliorem deterioremque sequentes pronunciationis rationem, pro a plerumque e, pro i et u saepe pronunciant e et o. Haec vocalium mollities, fluctuatio et confusio non repetitur ex origine, nec puriori sed lapsanti et seriori linguae debetur. Haec inventa signa, sicuti antiquitus nonnisi in Coranis cuficis obvia erant, sic serius etiam Corano fere propria manserunt; nam praeter hunc pauci tantum libri poëtici praesertim intellectu difficiliores iis scripti reperiuntur. In scriptis vero vulgaribus, codicibus, epistolis, nummis, monumentis etc. frustra quaeruntur; e nexu enim vocum lectori notarum omnis pendet vocalium lectio. Solent tamen auctores et scribae in locis difficilioribus haec ut cetera signa hic illic notare.

Fatḥa ـَ ergo denotat a.

Kesra ـِ sonat i, si sequitur post illam ى quiescens, v. g. بَنِينَا (banina), aut si est subscripta literae finali, qualis consideratur ultima vocis litera, quamvis accedat suffixum, v. g. إِبْنِهِ (ebnihi). Kesra autem literae initiali aut mediae subscripta pronunciatur e, v. g. كِتَابٌ ketábon.

Eadem ratio praevalet in Ḍamma; in fine vel ante و quiescens sonat u, alias o, v. g. أَبُوكُمْ (abukomu).

Not. Omnes vocales sonant post Consonantem, supra vel infra quam sunt posita ipsarum signa.

5. Uberior et sonora, quae per totam linguam regnat pronunciatio, inter alia efficit, ut in fine nominum post vocalem brevem sonus quidam nasalis audiatur, qui اَلتَّنْوِينُ (Attanuin) i. e. Nunnatio vocatur et quidem ـٌ = on, ـٍ = en et ـً = an, ac si scriptum esset ـُنْ, ـِنْ, et ـَنْ.

Not. Haec nunnatio in sermone vulgari non plus auditur. Confer expressiones literarum technicas أَلِفْ Alef etc.

6. Vocales superius denotatae sunt breves, evadunt autem longae ante literas ipsis homogeneas, i. e. ـَ ante ا, ـِ ante ى et ـُ ante و, quae literae, cum antiquitus jam vocalibus longis significandis inservirent, literae protractionis appellantur, quo in statu et quiescere dicuntur i. e. potestates suas quasi exuunt et naturam vocalium praecedentium induunt, ita ut cum iis in unam longam coalescant, v. g. قَالَ kála, سُورٌ sūron, قِيلَ kîla.

Not. a. Nonnunquam Elif protractionis ipso usu excidit, quod cognoscitur per directionem perpendicularem signi Fatha, v. g. هٰذَا pro هَاذَا hic; est enim illa lineola proprie Elif parvum.

Not. b. Si contingat, ut vox vocali incipiat, scribondi lex hic ita sibi constat, ut ab initio consonantis instar Elif ut spiritus lenis vocalem necessario praecedens scribatur, v. g. أَنْتَ.

Not. c. Literae و et ى vacuae cum praecedenti Vocali heterogenea diphthongos gignunt: ـَيْ = ai, ـَوْ = au, rarius ـُيْ = oi.

§ 4. De signis orthographicis.

1. E Consonantibus et Vocalibus consurgunt syllabae, quae sunt aut apertae, purae vel simplices i. e. in vocalem terminantes, aut clausae, impurae, mixtae vel compositae, si consonans claudit syllabam, v. g. in قَتَلَ syllaba قَ est pura

قَل impura. Ad scribendum et legendum bene cognoscantur oportet signa lectionis, quorum plura dantur in lingua arabica et quidem: Ǵezma, Teśdid vel Śadda, Hamza, Madda et Uasla.

A. Gezma.

Postquam literae vocalibus constanter denotari coeperunt, signum additum est, quod hanc illamve literam vocali destitutam seu vacuam esse innuerit. Id vocalibus oppositum apud Africanos zeri instar arabici pingitur literae superscriptum , ut quasi sit vocalis „nullius“ scil. necessario absentis signum, vulgatius est ـٛ vel ـْ, et dicitur جَزْمٌ (Ǵezma) i. e. resectio, amputatio; resecat enim et separat posteriorem mixtae syllabae literam a syllaba sequenti et indicat, talem literam vacuam cum praecedente litera unam componere syllabam; correspondet ergo τῷ Schwa quiescenti Hebraeorum quocum convenit et ejusdem nomen alterum سُكُونٌ (quies), v. g. عَبْدٌ = ab-don.

Not. a. Ǵezma non solet imponi

1) Literis infirmis ا و ى quiescentibus, v. g. نَارٌ ignis, نُورٌ lux, نِيرٌ jugum.

2) nec litterae ى, quando in fine pro ا scripta pronuncianda est ut ا, v. g. in particulis مَتَى quum, إِلَى ad, حَتَّى donec, dein in omnibus verbis ultimae ى, v. g. رَمَى (jecit) et in nominibus, v. g. ذِكْرَى memoria (quia semper permutatio facta est in iisdem casibus). Quodsi autem accedat suffixum; litera ى aut convertitur in ا, aut diphthongescit, ut semper fit in particulis, v. g. إِلَيْهِ, qua ex causa illi rursus imponitur signum Ǵezma.

3) denique nec literae و post Fatḥa vices gerenti literae ا in tribus praecipue nominibus: حَيَوةٌ (ḥajāton) vita, صَلَوةٌ (ṣalāton) preces et زَكَوةٌ (zakāton) eleemosyna; suffixis autem accedentibus ا redit, v. g. حَيَاتُهُ vita ejus.

B. Hamza.

Cum Elif vocalis â loco frequenter scriberetur, signum paulatim est ortum, quo ea dilucidius notaretur, scil. signum أَلْهَمْزَةُ Hamza ـٔ, quod ء minutum repraesentat et literam vi gutturalis sono litterae ع maxime vicinae efferendam esse innuit. Comitatur autem signum hoc literam Elif mobilem eique vim tribuit Accentus vel lenis initio praeprimis vocis vel acuti, maxime in medio et fine vocis, unde et Hamza i. e. punctio vocatur, quia pronunciatio gutturalis acuta et subtilis guttur pungit, v. g. إِبْنٌ filius, سَأَلَ interrogavit, مَلَأَ implevit.

Hinc et ipsa litera Elif hoc signo notata haud raro vocatur Hamza in oppositionem simplicis literae quiescentis ا (v. g. in نَارٌ); hic illic simplex Hamza sine litera Elif scribi consuevit una cum vocali sua, v. g. دَءْبٌ pro دَأْبٌ (mos), quod potissimum fieri solet in fine dictionis praecedente una ex literis اوى eaque vel quiescente vel vacua, v. g. مَآءٌ aqua, سُوءٌ malum, شَيْءٌ res pro مَآأٌ, سُوأٌ, شَيْأٌ.

Quodsi ex causis infra indagandis أ in sonos ى et و transit, his signum Hamza ita adscribitur, quasi Elif locum suum tueatur, ut بِئْرٌ atque hic semper supra literam scribitur, quo in casu duo puncta in ى semper negliguntur, ut بِئْرٌ (puteus), قَائِلٌ (dicens).

Nota. Ex dictis patet, literas و et ى Hamza notatas eodem accentu esse pronunciandas quam Hamza i. e. gutturali.

C. Teśdid. (Śadda.)

1. Ubi litera bis auditur, ut sit inter duas vocales, cum non duae probe distinctae audiantur, sed una fortior, in scriptura antiquissima nonnisi semel est scripta, quod scribendi genus seriori quoque tempore intactum permansit. Quum

autem litera talis signo distinguenda videretur, litera ـّ signi loco apposita est, sc. vocis شَدَّة (fortitudo, roboratio) principium et compendium; talis enim litera fortius efferenda est et diductius quam litera simplex, unde pronunciatio haec fortior etiam تَشْدِيد (Teśdid) i. e. vehementia audit nomine ad signum nominandum traducto; duplicat itaque signum hoc literam, cui imponitur.

Not. Teśdid correspondet Dàgesch forti Hebraeorum et signo duplicationis Germanorum —, v. g. in Hammer = Hamer.

2) Teśdid est duplicis generis: a) necessarium et b) euphonicum.

a) Necessarium est, quod imponitur literae bis scribendae, quae immediate ante se habet vocalem, uti نَزَّلَ pro نَزْزَلَ.

b) Euphonicum Teśdid adscribitur literis quibusdam, quae proxime ante se habent Consonantem vacuam, quae litera vacua euphoniae causa in pronunciatione sola, non autem in scriptura abjicitur cujusque loco sequens litera duplicatur, quod fit

α) in literis solaribus post ل articuli أَلْ nominibus praefixi, v. g. أَلرَّبُّ = ar-rabbu dominus; ergo liquida litera ل mollior sonum suum in sequentem similis organi aut virtutis literam diffluere sinit.

Not. a. Confer Latinorum voces attollo, colligo pro adtollo, conligo etc.

Not. b. Si duo ل concurrunt in vocibus notioribus, uti in pronomine relativo أَلَّتِي, alterum semper omittitur; si porro ob notam Dativi, ل tria Lam occurrerent, ل Articuli semper excidit, uti in لِلّٰهِ Deo pro لِلْلّٰهِ.

β) Litera ن vocem terminans sequentibus literis mollioribus ر, ى, م, و, ل saepe euphoniae gratia assimilatur, v. g. مِنْ رَبِّهِ merrabbihi (a Domino suo).

Not. Saepissime ن praepositionum مِنْ et عَنْ cum مَا coalescit in مِمَّا et عَمَّا.

γ) Signo hoc notatur litera ت, si praecedunt literae similes ت, ث, د, ذ, ط, ظ, vacuae, v. g. أَرَدْتُّ aratta pro أَرَدْتُ aradta, quae assimilatio tamen non semper locum habet.

Not. Signum Teśdid omnibus literis duplicatis, Elif sola excepta, imponitur.

D. Madda.

1. Signum hoc literae Hamzae est id, quod Śadda reliquis literis, nam illi literae soli est proprium.

Scripturae antiquitate sacer mos, literas bis proprie scribendas certis e legibus semel scribendi, signo ~ ansam dedit, quod مَدَّةٌ Madda i. e. extensio, prolongatio audit, cujus est, lectorem monere, ut vocalem bene i. e. cum aliqua vocis extensione producat, v. g. آمَنَ = āmana.

Not. In Elif signo Madda notata, etsi duplicem Elif valeat, non duae literae pronunciandae snnt, sed una tantum eaque protrahenda sicut apud nos vox „Waa-re".

2. Superponitur autem Madda:

a) literae Hamzae geminatae, v. g. آمَنَ credidit pro أَأْمَنَ;

b) literae Hamzae cum Elif protractionis concentratae, v. g. مَآءٌ aqua pro مَاأٌ.

Not. Signum hoc etiam adscribitur

a) literis, quae numeris notandis inserviunt, ut يا = 11 et

b) scribendi compendiis, praeprimis formnlis, quae nominibus prophetarum adjici solent, v. g. عم pro عَلَيْهِ ٱلسَّلَامُ sit ei salus; vel ج pro جَمْعٌ Pluralis etc.

E. Uasla. (Wasla)

1. Sunt voces quaedam cum vocali a incipientes tenuissima, instabili et fugace, quae in vocum junctura prorsus evanescit aut loco suo movetur; sunt hae duplicis generis:

a) Voces, quae a consonante vacua incipientes ob pronunciationis nisum vocalem sibi praeponunt brevissimam et fugacem eamque e, nisi causae accedant graviores, v. g. in vocibus barbaris, quae duplici consonante incipiunt, ut إِسْقِيلٌ σχίλλα, إِسْفَنْجٌ σπόγγος, إِبْنٌ filius. Hoc Elif hamzatum audit prostheticum.

b) Voces cum articulo أَلْ conjunctae, in quo vocalis ob usum frequentissimum in orationis nexu eliditur, quo facto harum vocum syllaba prima voci priori intime adnectitur, cujus unionis indicium est signum ـٱـ literae Elif impositum, quod grammatici nomine وَصْلَةٌ Uasla i. e. unio vel conjunctio appellarunt. Hinc Hamza hoc signo notata Hamza unionis audit, v. g. قَلْبُ ٱلْمَلِكِ = kalbul-maleki, cor regis.

Not. a. Haec unio semper locum habet, quando vox praecedens vocali terminatur, secus vocalis ad consonantem jungendam est assumenda.

Not. b. Si nomen articulo munitum incipit cum una ex literis solaribus, hae in pronunciatione trahi debent ad vocalem ultimam vocis praecedentis, quia ل ante solares literas iisdem assimilatur per Tešdid euphonicum, v. g. حَرَارَةُ ٱلشَّمْسِ = hararatuš-šamsi, calor solis.

2. Non omnis autem Hamza initio vocis posita simul est Hamza unionis, sed talis restringitur ad Hamzam prostheticam. Signum Wasla ergo locum habet:

a) in articulo أَلْ, quo et pertinet is, qui est in pronomine relativo أَلَّذِى.

b) in decem nominibus:

1) إِبْنٌ et 2) إِبْنَمٌ filius, 5) إِثْنَتَانِ duae,
3) إِبْنَةٌ filia, 6) إِسْتٌ nates,
4) إِثْنَانِ duo, 7) إِسْمٌ nomen,

8) إِمْرُوٌ vel إِمْرُؤٌ vir, 9) إِمْرَأَةٌ mulier,
10) أَيْمُنٌ jusjurandum.

c) In Imperativo formae I. et in Aor. I. Imperativo et Infinitivo formarum a VII. usque ad XIII. sola formâ IV. excepta, cujus أ est signum characteristicum ejusdem formae.

3. Si ultima praecedentis vocis Consonans est vacua, eadem semper Waslae seu unionis ineundae gratia adsciscit vocalem eamque Kesra brevissimam, quae vocalis euphonica audit et utriusque vocis conjunctioni inservit nonnullis vocibus exceptis, quae aliam vocalem assumunt, et quidem

a) Fatha assumitur

α) in praepositione مِنْ a, ut distinguatur a pronomine مَنْ quis, v. g. مِنَ ٱللَّهِ a Deo;

β) in suffixo 1. personae singularis ى vel نى, v. g. نَصَرَنِىَ ٱللَّهُ adjuvit me Deus;

γ) in terminatione dualis ى in casu obliquo et constructo, quae ideo geminatur, v. g. كِتَابَىِّ ٱلتَّوْرَاةِ duorum librorum legis.

Not. Alii tamen huic ى, quin geminent, tribuunt Kasra.

b) Damma adsciscunt:

α) Suffixa كُمْ et هُمْ cum أَنْتُمْ (vos), ut حَفِظَكُمُ ٱللَّهُ conservet vos Deus; quodsi autem Damma suffixi هُمْ transierit in Kesra (id quod sicuti in suffixis هُ, هُمَا et هُنَّ semper obtinet proxime praecedente aut Kesra aut ى vel quiescente in Kesra vel diphthongescente in Fatha) م movetur vocali Kesra.

β) Terminatio 2. personae pluralis masculinae praeteriti (تُمْ in تُمْ) et 3. personae pluralis verborum tertiae radicalis و et ى quiescentis, quando eam Fatha praecedit, v. g. رَمَوُا ٱلسَّهْمَ jecerunt sagittam (3. perf. pl. رَمَوْا);

γ) particula monosyllaba مُذْ a quo tempore, v. g. مُذُ ٱلشَّهْرِ abhinc hoc mense.

Not. a. Nec vocalis longa praecedens, v. g. أَبُو ٱلْوَزِيرِ = abulvaziri (pater veziri), nec Elif otiosa قَتَلُوا ٱلرَّجُلَ, nec diphthongus, quae in duas vocales simplices resolvitur, impediunt conjunctionem, ut مُصْطَفَوُ ٱللّٰه = mostafaullahu pro مُصْطَفَوْ ٱللّٰه electi Dei.

Not. b. Quodsi vox prior nunnatione terminatur, Nun consonantis instar suetae habetur et cum Kesra pronunciatur, v. g. قَدِيرٌ ٱلَّذِى = kadironi-lladi (potens qui); alii autem ante debilem hunc sonum nasalem vocalem primitivam manere censent, ita ut legatur: kadiru-lladi.

Not. c. Ab initio libri vel sententiae absolutae alii Elif hoc signo Wasla scribi volunt, alii hoc improbantes ab initio sententiae Hamzam scribunt.

4) Omittitur seu excidit Elif protheticum

a) nominis إِسْمٌ, praesertim in Corani formula frequentissima:

بِسْمِ ٱللّٰهِ ٱلرَّحْمٰنِ ٱلرَّحِيمِ et in formula christiana بِسْمِ ٱللّٰهِ.

b) nominis إِبْنٌ, quando ponitur inter duo nomina propria, quae eidem personae tribuuntur in apposito, v. g. مُحَمَّدُ بْنُ عَبْدِ ٱللّٰهِ Mohammed filius Abdallah.

Not. Si in apposito sequitur nomen appellativum, vel si nomen proprium alterum tanquam praedicatum aliam personam spectat, Elif protheticum manet, v. g. زَيْدٌ ٱبْنُ مُحَمَّدٍ Zaidus est filius Muhammedis.

c) articuli أَلْ praecedente praefixo Lam, sive sit nota Dativi, sive particula, v. g. لِلَّيْلِ nocti, لَلْحَقُّ certe veritas; vel praeposita particula interrogationis أَ, v. g. أَلْمَآءُ an aqua?

d) nominum et verborum, si praecedit eadem particula interrogativa أ, v. g. أَبْنُكَ num filius tuus? أَنْذَرْتَ num monuisti?

Not. Ceterum signum hoc magna rarius scribitur constantia, cum quivis linguae peritior probum legendi usum facile e nexu videat.

§ 5. De distinctionis signis seu Interpunctionibus.

Distinctionis signa in vulgaribus Arabum scriptis vix aut ne vix quidem in usu sunt; quae in Corani exemplaribus occurrunt, maxime variant. Finem pericopae majoris indicant signa . ⁚ ∴ ⁖ ⁘ ⁙ ✵ ⊙. Cum publica Corani lectio apud Muhammedanos esset accuratissima, certae literae lineis superscriptae pausas docebant longiores brevioresque in praelegendo observandas; sic مٓ indicat pausam necessariam, طٓ pausam ab omnibus agnitam, جٓ pausam pro lubitu faciendam, لَا, quando pausa non potest habere usum.

§ 6. De Tono.

Tonus (qui postulat, ut ad syllabam, cui inest tonus, paululum cum aliqua vocis elatione insistatur, quin tamen protrahatur, quod fit in syllaba longa) ex ipsa linguae indole aliquatenus jam cognosci potest. Nam lingua arabica sonora et concinna tonum simplicem et concinnum habet e syllabarum ratione sponte sua fluentem. Cum Consonantes vocem terminantes vocali brevi pronunciari linguae elegantia jubeat, tonus ab ultima syllaba continuo recedit, qua in re lingua arabica ceteris semiticis est dissimilis. Penultima itaque, si longa est, accentum seu tonum vocis tenet potissimum, ut يَقُولُ jaḳúlu; si brevis, accentus antepenultimam ferit sive longam, sive brevem, v. g. قَاتَلَ et قَتَلَ ḳátala.

Not. a. Si duae in eadem voce occurrunt syllabae longae, tonus sedit in posteriori, ut قَاتِلُونَ ḳatelúna.

Not. b. Syllaba, in qua Elif protractionis est amissum, semper habet accentum, v. g. أَللّٰهُ allâhu.

Not. c. Syllaba mixta sive penultima, sive antepenultima semper est attollenda, v. g. قَتَلْتَ katálta; duabus in eadem voce occurrentibus posterior tono gaudet. Hinc in literis geminatis semper sedet tonus, quia ibi syllaba est clausa seu mixta, v. g. مَقَرٌّ makárron (locus stabilis).

Not. d. Si duae voces per Wasla conjunguntur, ibi est tonus, ubi conjunctio, v. g. عَمُودُ ٱلْبَيْتِ amudúl-baiti (columna domus).

Not. e. Particulae monosyllabae, quibus accedit una alterave monolitera praefixa, pronunciandae sunt cum acuto accentu ut أَمَّا amá (aunon); لَفِي lafí (utique); excepta كَمَا sicut, quae absque tono legitur.

§ 7. De numerorum Signis.

Arabes numeros vel singulis literis, vel signis quibusdam peculiaribus exprimunt:

1) Literae numeris notandis inservientes priscum alphabeticum servant ordinem, qui cum hebraicarum literarum ordine convenit, ita ut primae novem literae ab ا usque ط unitates exprimant, novem sequentes denarios, reliquae centenarios, غ millenarium; ceteros additione supplent ut Hebraei, hinc:

Unitates:	ط	ح	ز	و	ه	د	ج	ب	ا	
	9	8	7	6	5	4	3	2	1	
Denarii:	ص	ف	ع	س	ن	م	ل	ك	ى	
	90	80	70	60	50	40	30	20	10	
Centenarii:	غ	ظ	ض	ذ	خ	ث	ت	ش	ر	ق
	1000	900	800	700	600	500	400	300	200	100
Compositi:	قل	غق	غش etc.							
	130	1100	1300.							

2) Praeter literas has Arabes numeris designandis signa peculiaria adhibent, quae **Indica** vocant, quod ab Indis ea

accepta ferunt; originem jam peregrinam ordo illorum a sinistra dextram versus confirmat, nos ea Arabica appellamus, quia ab Arabibus ea recepimus; sunt:

١	٢	٣	٤	٥	٦	٧	٨	٩	٠	١٢	٧٠٠	١٨٦٨
1	2	3	4	5	6	7	8	9	0	12	700	1868.

II. CAPUT.

De Consonantium et Vocalium permutationibus.

§ 8. De Consonantium permutatione et transpositione.

1) Cum linguae arabica et hebraica quoad originem suam inter se intime sunt conjunctae et plures voces in utraque lingua occurrunt eaedem aut similes, juvat quidem ad collationem instituendam scire, quibus literis scriptae voces in una harum linguarum respondeant vocibus in altera; sed cum illud magis ad lexicographiam, quam ad grammaticam spectet, recurrendum est ad lexica.

2) Permutantur in lingua arabica inter se literae, quae sunt ejusdem organi, v. g. gutturales cum gutturalibus, ut زَرَعَ et زَرَأَ seminavit, labiales cum labialibus, ut بَكَّةُ et مَكَّةُ Mecca, palatinae cum palatinis, ut حَزَقَ et حَزَكَ ligavit, dentales cum nonnullis lingualibus, ut تَجَا et سَجَا quievit, linguales cum lingualibus, ut سَارَ et صَارَ ivit etc.; porro literae, quarum duplicem pronunciationem Arabes solis punctis diacriticis impositis indicarunt, sic ت et ث, ح et خ, د et ذ, ص et ض, ط et ظ, ع et غ v. g. مَاتَ et مَاثَ mortuus est.

3) Literae infirmae primae radicales و et ى permutantur ante literam ت in eandem ت, quacum concentrantur, v. g. إِوْتَعَدُ in إِتَّعَدُ praeprimis in forma VIII. verborum 1. radic. و et ى.

Not. In lingua aramaea eadem valet regula in verbis 1. radic. Aleph in voce passiva, in qua litera Aleph convertitur in Tau.

4) ن litera characteristica formae VII. saepe convertitur in م, quacum concentratur, v. g. إِمَّلَسَ pro إِنْمَلَسَ mollis-fuit.

5) Litera ت post literas vacuas ص, ض, ط et ظ emphaticas abit in ط, nonnunquam post ص convertitur in eandem literam, post literas autem د, ذ et ز mutatur in د, non raro post س et ش abit in eandem literam س et ش (vide inferius § 22. 8. N. b).

6) Literae ت, ث, د, ذ, ص, ض, ط et ظ, permutantur sic, ut illarum prior in posteriorem aut posterior in priorem mutetur, quo facto locum habet concentratio.

7) Transpositionis literarum exemplum occurrit in verborum forma, cujus character convenit characteri formae chaldaicae Schaphel, in qua Schin cum T translocatur.

§ 9. De Consonantium concentratione.

1) Cum Arabibus pro ratione scribendi compendiosa signum Teśdid inservit, sicut Hebraeis Dagesch forte, litera geminanda certis in casibus semel tantum scribitur, quae scribendi ratio **Concentratio** nominatur estque duplicis generis: aut **necessaria** aut **licita**.

a) Concentratio **necessaria** est ea, quae semper fieri debet, et locum habet, si posterior literarum concentrandarum est vocali insignita. Vocalis prioris literae aut abjicitur, ut in مَدَّ ex مَدَدَ, aut in proxime praecedentem literam vacuam remittitur, ut in مَعَدّ ex مَعْدَدْ (locus extensus).

b) Concentratio **licita** est ea, quae fieri aut negligi potest, quando scil. posterior literarum vacua est; si concentratio fit, illa litera vacua assumat oportet vocalem auxiliarem. Quaelibet autem vocalis tunc assumi potest, quando

litera eadem prior insignita est ـُ (Ḍamma) ante concentrationem factam; hinc ex يَمْدُدْ fit يَمُدِّ. Si vero prior istarum literarum habet vocalem ـَ vel ـِ, qua vocalis auxiliaris assumi potest tum ـَ tum ـِ pro lubitu, v. g. يَفِرِّ, عَضِّ.

Not. a. Haec concentratio fieri nequit, nisi in fine vocis, quia secus concentratione facta duae literae vacuae concurrerent, quod nefas est, v. g. مَدَدْتُ, non مَدّْتُ; fieri autem potest in hoc casu, si inter literam concentrandam et subsequentem inseritur ى, uti مَدَّيْتُ.

Not. b. Huc spectat concentratio literarum solarium immediate post articulum (vide § 4. C. 2. b.) facta; innititur haec concentratio euphoniae legibus, cum per illam gratior producatur pronunciatio, quae concentratio in pronunciatione audit, quia non in scribendo, sed in legendo tantum applicatur; consideratur enim litera (ل articuli) Consonanti solari concentraudae praecedens quasi absens e contextu, hinc ista litera nullo signo Ǵezma est signanda, v. g. اَلرَّبُّ non اَلْرَّبُّ.

§ 10. De literarum infirmarum mutationibus.

1) Literae infirmae seu debiles و, ى, ا externo influxui adeo sunt obnoxiae, ut non raro in pronunciatione potestatem Consonantium amittant et qua vocales pronuncientur, quamvis scribantur, aut inter se permutentur, aut omnino dispareant. Quando literae infirmae in lingua arabica non minus, quam in reliquis linguis semiticis influxum quemdam patiuntur a vocali causatum, haec vocalis necessario proxime praecedere debet; hinc literae alicujus mutatio a vocali dependens nunquam a vocis initio locum habet, sed in vocabulorum fine et medio tantum.

2) Regulae, quibus omnes literarum infirmarum innituntur proprietates, ad euphoniae legem supremam reducantur oportet; mutationes enim, quas subeunt literae infirmae, instituuntur eo fine, ut gratior faciliorque procuretur pronunciatio. Regulae autem istae ad simplicem theoriam vix re-

duci possunt, quia non semper sunt applicatae, quamvis euphonia earum applicationem requirere videretur. Ut itaque literarum harum proprietates in lingua arabica bene et rite perspiciantur, inquirendae sunt omnes voces in singulis suis modificationibus, ut attendatur ad earum mutationum rationem. Optima absque dubio in proponendis literarum infirmarum regulis ea est methodus, qua diversae regularum istarum modificationes enumerantur simulque ad rationem, cui innituntur mutationes, reducuntur.

Not. Haec expositio maximi est momenti, quia ab ea bene perspecta dependet perfecta verborum infirmorum cognitio.

3) Distingui debent mutationes, quas subeunt literae infirmae ي et و ab iis, quae spectant ad ا.

Iam ex indole sua literae ي et و proxime ad vocales i et u accedunt et persistunt, quando nullum patiuntur influxum; quo autem posito triplex literarum infirmarum modificatio distingui potest:

a) Literae hae ob vocalem proxime praecedentem homogeneam in pronunciatione non percipiuntur, quamvis figuras retineant, i. e. rediguntur ad quietem; aut

b) literae hae figuras mutant, cum propius accedant ad vocalem proxime praecedentem vel ad literam annexam i. e. convertuntur; aut

c) in quibusdam casibus non scribuntur, seu ut Grammatici dicunt, abjiciuntur.

Not. Nonnunquam in una voce duplex imo triplex hujusmodi modificatio est instituenda.

In sequentibus ergo proponuntur regulae literas infirmas ي et و concernentes et quidem A. Quietis; B. Conversionis et C. Abjectionis.

§ 11. A. De regula Quietis literarum ي et و.

Litera infirma non pronunciatur, sed quiescit proxime praecedente vocali homogenea.

Quies ista tunc tantum obtinet, quando litera infirma est vacua (caret vocali) et proxime praecedens litera mota est vocali huic literae infirmae homogeneâ, v. g. طُولٌ pro طُوْلٌ, و quiescit ergo in ـُـ.

Nota. Vocalis homogenea literae ى est Kesra (ـِـ) et literae و Damma (ـُـ).

Casus autem sequentes notandi sunt:

1. Si litera infirma insignita est vocali homogenea, litera autem proxime praecedens est vacua, vocalis literae infirmae praemittitur in hanc literam vacuam, ut litera infirma quiescat, v. g. يَقُولُ pro يَقْوُلُ.

2. Si ى est vacua et ـُـ praecedit, vocalis haec abit in ـِـ homogeneam proxime sequenti ى; si autem ى mota est per ـُـ et praecedit litera vacua, Damma praemittitur et fit homogenea literae ى, v. g. ex يَسْيُرُ fit يَسِيرُ.

3. Si utraque litera mota est vocali, respiciendae sunt qualitates illarum vocalium. Quodsi vocalis literae infirmae imposita est ـَـ, resistit omni quieti literae infirmae, quia Fatha est vocalis firmissima; nec non Nunnatio ـً sicut vocalis simplex quieti resistit, v. g. فَتًى puer; si vero litera infirma mota est vocali ـِـ vel ـُـ, amittit suam vocalem et quiescit in vocali proxime praecedentis literae homogenea, v. g. يَدْعُو pro يَدْعُوُ.

Not. Vocalibus ـِـ et ـُـ simul concurrentibus Kesra qua fortior praevalet Dammâ ut debiliori vocali, quae ultima abjicitur, v. g. سِيرَ pro سُيِرَ; يَرْمِي pro يَرْمِيُ, quod et locum habet in Nunnatione, quae retrocedit ad secundam radicalem, cujus vocali sese accommodat; saepe tamen in hoc casu litera infirma excidit, nunnatio ergo, ut ajunt, retrahitur, v. g. in رَامِيٌ retrahitur nunnatio et fit رَامِي aut رَامٍ (ى elisâ); ex عَمَوٌ vel عَمَوٍ fit عَمًا, nam Fatha vocalis fortissima semper attrahit minus fortem. Eadem ex causa ـً ultima vocalis (vel ـًـ) resistit retractioni manetque firma, v. g. in رَامِيًا.

§ 12. B. De regulis Conversionis literarum inf. ى et و.

Omnes regulae Conversionis, quas subeunt literae ى et و, ad duplicem reduci possunt classem; dependent enim istarum literarum mutationes aut a vocalibus solis, quae influunt in istas literas, aut a literis infirmis ipsis connexis, quo sub respectu duae tantum Conversionis regulae sunt notandae:

I. Regula. Litera infirma, cui est annexa vocalis aliqua heterogenea, mutatur in aliam literam infirmam huic vocali homogeneam.

Applicatur haec regula in sequentibus casibus:

a) Si litera infirma est vacua et praecedit vocalis ـِ vel ـُ, quae sequenti literae inf. est heterogenea, haec mutatur in alteram literam infirmam vocali illi homogeneam, v. g. مُوقِنٌ pro مُيْقِنٌ certum reddens (ubi ى abit in و ob ـُ); مِيلَادٌ pro مِوْلَادٌ tempus natale (ubi و abit in ى ob ـِ). Occurrente autem Fatha non raro litera infirma immutata manet et cum vocali praecedenti diphthongescit, v. g. يَوْمٌ, لَيْلٌ et أَوْعَدَ; nonnunquam litera infirma hoc in casu convertitur in ا homogeneam vocali Fatha, v. g. pro نَوْرٌ fit نَارٌ ignis.

b) Si in medio (non vero in fine) vocum litera infirma est mota vocali brevi et praecedit litera vacua, litera infirma vocalem praemittit in literam proxime praecedentem vacuam fitque ipsi homogenea, v. g. pro يَقْوُلُ fit يَقُولُ, ex يُسْيَرُ fit يُسَارُ.

c) Si utraque litera (tum infirma, tum proxime praecedens) est mota per vocalem, istarum literarum vocales ponderari debent pro sua gravitate; hinc,

α) si litera proxime praecedens mota est vocali ـَ, litera infirma ammissâ sua vocali mutatur in aliam literam

infirmam, quae est homogenea praecedenti vocali ـَ i. e. Elif, v. g. ex قَوَلَ fit قَالَ; ex سَيَرَ fit سَارَ;

β) quando litera praecedens mota est vocali ـُ et litera infirma vocali ـِ, haec Kesra praemittitur in literam proxime praecedentem, cujus vocalis ـُ abjicitur, quo facto litera infirma illi fit homogenea, v. g. ex قُوِلَ fit قِيلَ;

γ) si litera inf. mota est vocali ـَ et praecedit litera cum ـِ, litera infirma fit homogenea vocali ـِ remanente tamen Fatḥa vocali, v. g. ex رَضِوَ fit رَضِيَ (contentus fuit);

δ) si literae infirmae ى vel ا non radicales motae sunt vocali ـَ et praecedit ـُ in praecedente litera, nonnunquam exserit litera infirma ى vim suam in vocalem infirmiorem, quae mutatur in ـِ aut Ḍamma exserit vim in subsequentes literas ى vel ا non radicales, quae in و mutantur in media voce, v. g. اَلتَّمَنِّي pro اَلتَّمَنُّي optatio;

ε) litera و mota vocali Ḍamma, cui altera Ḍamma praecedit, nonnunquam in ى mutatur, v. g. عُصُوٌّ baculi abit in عُصِيٌّ.

Not. a. Regula haec prima conversionis nonnunquam non applicatur, quamvis ex analogia aliorum locorum conversio locum habere posset.

Not. b. Literae ى et و, quae sunt conversae in literam ا, non semper scribuntur charactere seu signo literae ا, sed figuram suam non raro retinent. Locum habet in litera و, regulariter autem in litera ى in verbis; e defectu signi Ǵezma in tali litera cognoscitur, literam ى vel و esse positam pro ا, v. g. رَمَى pro رَمَيَ jecit. Accedente suffixo autem litera haec aut manet, v. g. رَمَيهُ aut in ا mutatur, v. g. رَمَاهُ jecit eum.

Not. c. Si duae literae infirmae subsequuntur in eadem voce, regula conversionis semper posteriori literae applicatur, v. g. ex قَوَيَ fit قَوَى superior fuit, sed manet رَوِيَ satis bibit.

2. Regula. Litera infirma, quae dependet ab alia litera infirma sibi annexa, mutatur in aliam infirmam eum in finem, ut literae hae facilius aut confluant aut a se invicem discernantur; hinc convertitur litera infirma in aliam, quae est eadem cum proxime praecedente aut subsequente litera et quidem

α) و mutatur in ى, sive hoc praecedat, sive subsequatur, v. g. ex رَضِيوٌ fit رَضِيٌّ; ex أَيْوَامٌ fit أَيَّامٌ dies;

β) si priorem literam infirmam proxime praecedit ـُ, mutatur qua vocalis infirmissima in fortiorem Kesra, quae est homogenea literae ى ortae ex و, v. g. ex مَرْضُوىٌ fit مَرْضِيٌّ rejectus;

γ) si Fatha in voce est prolongata per Elif, sequens litera infirma (sive و, sive ى) mutatur in Hamza et secundum regulas Hamzae est tractanda, v. g. ex قَاوِلٌ fit قَائِلٌ dicens.

Not. Nonnunquam duo و concurrentia, quorum prius quiescit, convertuntur in ى duplicatum conversâ simul Ḍamma in Kesra, v. g. ex دُلُووٌ fit دُلِيٌّ situlae.

§ 13. C. De regulis Abjectionis literarum ى et و.

1. Regula. Litera infirma abjicitur, quotiescunque per hanc abjectionem gratior procuratur pronunciatio; hinc abjiciuntur literae infirmae ى et و in verbis, in quibus istas literas qua tertiam radicalem sequitur alia litera infirma vel ى vel و quiescens.

In hujus regulae applicatione respici debet vocalis, qua mota est secunda radicalis; si haec insignita est cum Fatha,

vocalis ـَ qua fortissima manet, tertia radicalis autem infirma una cum vocali sua abjicitur, v. g. ex رَمَيُوا fit رَمَوْا jecerunt; si vero vocalis secundae radicalis est ـِ vel ـُ, vocalis literae infirmae, sive fuerit ـِ sive ـُ, praemittitur in literam proxime praecedentem, cujus vocalis est abjicienda, v. g. ex اَلْغَازِىُ fit اَلْغَازِى pugnans, ex اَلْغَازِيِ fit اَلْغَازِى.

2. Regula. In nonnullis casibus omittitur in scriptura illa litera infirma, quae in pronunciatione non percipitur, quod locum habet:

a) in media voce, si syllaba est clausa, in qua apparet litera infirma protractionis causa; nam syllabae clausae amant vocales breves, v. g. ex قُومْ surge fit قُمْ; ex بِيعْ vende fit بِعْ. In syllaba aperta, in qua literam infirmam quiescentem proxime sequitur alia litera infirma vacua, haec posterior abjicitur, v. g. ex قَتَلُواهُ fit قَتَلُوهُ occiderunt eum.

Not. a. Abjiciuntur ى et و in fine vocis, quando juxta analogiam vocum perfectarum istae literae essent vacuae (ut in imperativo et Aoristo apocopato) v. g. ex إِرْمِى fit إِرْمِ, ex يَرْمِى fit يَرْمِ; quae litera vacua etiam in Nunnatione excidit, v. g. ex رَامِى (ortum ex رَامِىٌ) fit رَامٍ, خَاشٍ pro خَاشِىٌ.

Not. b. Regulae hae saepe neglectae inveniuntur, praeprimis quando eo gratior apparet pronunciatio.

§ 14. De regulis Hamzae.

Elif servile subjacet omnibus mutationibus, quae sunt enumeratae de literis infirmis ى et و; etiam Elif radicalis seu Hamzae regulae magna ex parte illustrantur regulis de mutationibus literarum ى et و, nonnunquam Hamza in ipsas literas ى vel و mutata qua talis tractatur, hinc theoria regularum Hamzae subsequitur doctrinam de literis infirmis ى et و propositam.

Sunt autem duae regulae de mutationibus Hamzae, quae proxime accedunt ad duas regulas Conversionis literarum ى et و; et quidem:

1. Regula. Litera Hamza influxum patitur a vocali heterogenea, cui sit homogenea; mutatur itaque figura literae hamzatae in aliam literam infirmam, quae est homogenea illi vocali, sive haec vocalis sit inscripta ipsi Hamzae, sive imposita literae proxime praecedenti. Applicatur haec regula in vocibus, quarum Hamza est vel in medio, vel in fine et quidem:

a) si litera Hamza est vacua et vocalis heterogenea praecedit, mutatur Hamza in literam infirmam vocali isti homogeneam; quo facto signum Hamzae in suo loco reremanet, v. g. ex بِأْرٌ fit بِيْرٌ puteus, ex بَأْسٌ fit بُؤْسٌ infortunium;

b) si tum Hamza, tum litera proxime praecedens sunt motae et vocalis heterogenea aut praecedit Hamzae aut ipsi est imposita, litera hamzata abit in literam infirmam, quae heterogeneae vocali est homogeuea, semper tamen vocali sua servata; hinc pro فِأَةٌ fit فِئَةٌ agmen, pro خَطِأَ fit خَطِئَ peccavit.

Not. a. Prima radicalis Hamza nominum praefixâ aliqua e particulis inseparabilibus non immutatur, quae sunt: أ num, وَ et, بِ in, فَ itaque, كَ sicut, لِ v. g. لِأَبٍ, non لِيَبٍ.

Not. b. Hamza initialis immutata manet, finalis autem accrescentibus suffixis pro mediana habetur, ut مَاؤُهُ aqua ejus.

2. Regula. Litera Hamza influxum patitur a litera infirma annexa sub duplici respectu, aut ut Hamza magis appareat in pronunciatione, aut ut sese magis accommodet literae infirmae sibi annexae.

a) Sub priori respectu mutatur Hamza proxime subsequente ا protractionis in literam و, v. g. ex سَأَالٌ fit سُؤَالٌ interrogatio;

b) sub secundo respectu, si litera Hamza magis sese accommodat literae infirmae sibi annexae, est notandum:

α) Elif hamzatum nonnunquam mutatur in ى vel و et sequitur regulas in his literis applicandas; hinc cum ى vel و praecedente aut subsequente confluit per Teśdid, vocalis autem istam literam proxime praecedens aut mutatur, aut immutata vim suam exserit in literas has infirmas, v. g. ex شَيْءٌ fit شَيْءٌ vel شَيٌّ; ex سُوءٌ fit سُوٌّ.

β) Si litera Hamza aut praecedit aut sequitur aliquam literam vacuam vel quiescentem, scribitur saepius solum signum Hamzae una cum vocali, suppressô Elif tum in medio, tum in fine vocis, v. g. pro يَسْأَلُ scribitur يَسَلُ, pro بُدْءٌ = بَدْءٌ initium.

Not. Litera hamza radicalis una cum signo suo excidit post articulum in nomine اَللّٰهُ Deus pro اَلْإِلَاهُ.

PARS SECUNDA.

Formarum doctrina.

§ 15. Praemonenda.

1. Voces linguae omnes ex elementis brevioribus, quae radices vocantur, prodierunt. Radices primitivae duabus tantum consonantibus constitisse, ergo biliterae fuisse a pluribus eruditis merito creduntur, quae dein ex linguae perpetua lege ad trium consonantium ambitum excreverunt, triliterae ergo factae sunt. E radice excreverunt stirpes, quibus solis lingua nunc utitur.

Not. Radix et stirps saepissime inter se confunduntur, sunt tamen bene distinguendae; radices enim non plus existunt in lingua, nisi in abstracto, quia excreverunt in vocum stirpes, sicut plantarum semina progignunt stirpes arborum.

2. Stirps rursus pro diversis vocalibus, quibus induta est radix, species quaedam esse debet aut verbi aut nominis; utrumque enim eodem jure a radice descendit, ita tamen, ut verbum potius et proprius sit judicandum, quam nomen, quia multae nominum formae inde originem ducunt. Ad formas sonorum e stirpibus derivandas duo inserviunt media: aut formatio fit notis seu literis praefixis vel postpositis (formatio extrinseca), aut interna vocalium tantum mutatione (intrinseca). Multo major formationis pars vocalium mutatione intra radicem nititur, est enim haec virtus dialecto arabicae, quae vocalium ubertate et volubilitate maxima

gaudet, prae ceteris dialectis cognatis longe familior. Ratio formandi formas extrinseca locum habet in formatione personarum verbi, et in genere numeroque verbi et nominis formandis.

3. Praeter has stirpes triliteras aliae ortae sunt pluriliterae additis novis augmentis eadem lege, qua triliterae e biliteris; nam una eademque est stirpium formandarum propagatio e linguae officina formatrice prodiens. Ad hanc classem praeprimis pertinent vocabula peregrina in Arabismum recepta.

4. Partem linguae potissimam constituunt verba et nomina, quibus succedunt particulae; cum autem pronomina praeprimis personalia, e linguae aetate antiquiori servata, ad voces verbales sunt adhibitae, hic prius ea describere juvat.

In hac ergo secunda parte exponenda sunt: I. Pronomina, II. Verba, III. Nomina et IV. Particulae.

I. CAPUT.

De Pronominibus.

§ 16. 1. De Pronominibus personalibus.

Pronomen personale (arabice إِسْمٌ مُضْمَرٌ nomen occultum dictum, quia pro proprio nomine occultato in oratione substituitur) est vel 1) separatum, vel inseparabile seu 2) suffixum. Illud pro nominativo adhibetur, hoc casibus obliquis exprimendis inservit; ceterum omnia pronomina personalia sunt indeclinabilia.

A. Pronomina personalia separata.

Singul.	Plural.
1. pers. com. أَنَا ego (هَنَا)	1. p. com. نَحْنُ nos

Singul.	Plural.
2. pers. masc. أَنْتَ (هَنْتَ) tu	2. pers. masc. أَنْتُمْ (أَنْتُمُو) vos
2. pers. fem. أَنْتِ (أَنْتِي)	2. pers. fem. أَنْتُنَّ
3. pers. masc. هُوَ is	3. pers. masc. هُمْ ii
3. pers. fem. هِيَ ea	3. pers. fem. هُنَّ eae.

Dual.

2. pers. com. أَنْتُمَا vos duo (duae)

3. p. com. هُمَا ii duo (eae duae).

Not. Ipsa pronominum etyma ex antiqnissima sunt lingua. Antiqua jam semitica lingua in genere secundae personae distinguendae diligens est; in primo autem nunquam ejusmodi distinctio invaluit, haud dubie, quia prima persona qua loqnens cogitatur praesens. Arabibus Dualis quoque, qui in antiqna lingua parcius nsitabatur, frequens factus et ad verbum ac pronomen translatus est, nec tamen nisi in secunda et tertia persona.

B. Pronomina suffixa.

Pronomina personalia substantivorum modo et ratione cum formis conjungi possunt, cujus juncturae ineundae causa voculae hae ad vocabula, quibus affigendae erant, adeo se applicuerunt, ut cum his accentu, pronunciatione et scriptione perpetuo coaluerint; hinc enata sunt pronomina decurtata seu snffixa, quae cum nominibus conjuncta Genitivum seu possessionem (pronomina possessiva), verbis autem postposita Accusativum nec non Dativum significant. Sunt autem sequentia:

Sing.	Dual.
1. pers. com. ي (نِي)	
2. pers. masc. كَ	2. pers. com. كُمَا
2. pers. fem. كِ (كِي)	

Sing.

3. pers. { masc. هُ (هِ). femin. هَا

Plural.

1. pers. com. نَا

2. pers. { masc. كُمْ fem. كُنَّ

3. pers. { masc. هُمْ (هِمْ) fem. هُنَّ (هِنَّ)

Dual.

3. pers. com. هُمَا (هِمَا)

Not. a. Pronomina 3. pers. plur. integra sunt servata; pronom. separatum 3. pers. masc. sing. هُوَ abiit in هُ, femin. sing. هِيَ in هَا ultimâ scilicet syllabâ altissime pronunciata. Quoad personam secundam ex antiquissima lege mansit, ut pro ت pronunciaretur ك, quo simul pronomina suffixa a separatis distinguerentur. Suffixum pers. primae sing. ى nominibus affigitur, نى autem verbis.

b. Suffixa 3. pers.: هُ, هُمْ, هُنَّ et هُمَا mutant Damma in Kesra proxime praecedente aut Kesra aut ى vel quiescente vel diphthongescente in Fatha, v. g. بِهِ in eo; إِلَيْهِمْ super eos.

c. Nota Dativi لِ mutat Kesra in Fatha cum omnibus suffixis excepta prima persona singulari; hinc لَكَ tibi — ast لِي mihi.

d. Uni verbo duo interdum annectuntur pronomina affixa diversae personae, v. g. أَعْطَانِيهِ dedit mihi eum; si suffixorum prius est كُمْ, inter utrumque suffixum inseritur و praecedente Damma, v. g. يُرِيكُمُوهُمْ ostendet vobis eos.

e. Suffixa in Accusativo ponenda possunt et verbis separatim apponi, sed praefixo إِيَّا *) v. g. إِيَّاكَ te.

*) Ortum videtur ex إِيِّى, feminin. إِيَّةٌ — אוֹת signum.

§ 17. 2. De Pronominibus demonstrativis.

Pronomina demonstrativa sunt duplicis generis: vel simplicia, vel composita.

A. Pronomen simplex.

Sing.

Masc. ذَا (ذَاءِ,) hic

Femin. ذِى aut تِى (تَا, تَى) haec.

Plur.

com. أُولَاءِ (ortum ex أُولَى) hi

Dual.

masc. ذَانِ (ذَانِّ) pro casu rect. — ذَيْنِ (ذَيْنِّ) pro casu obliq.

femin. تَانِ (تَانِّ) „ „ „ تَيْنِ (تَيْنِّ) „ „

B. Pronomina haec demonstrativa simplicia per se raro in usu sunt; nam Arabes his vocem demonstrativam هَا vel هَ ita praeponere consueverunt, ut pronomina enascerentur composita et quidem a. propinqui ut ajunt; hinc

Sing.

Masc. هَذَا hic

Femin. هَذِهِ (هَتِى, هَتِهِ) haec.

Dual.

Masc. هَذَانِ cas. rect. — هَذَيْنِ cas. oblq.

Femin. هَتَانِ „ „ „ هَتَيْنِ „ „

Pluralis mansit أُولَاءِ.

b. Sed quo distinctius quis loquenti remotior indigitetur, lingua simplici demonstrativo pronomen 2. personae in Dativo suffixit (لَكَ), quippe quod rem remotius a loquente distantem innuat, hinc demonstrativa remoti sunt orta.

Sing.	Plural.
Masc. ذٰلِكَ ille	أُولَائِكَ illi (illae).
Femin. تِلْكَ illa	

Not. Loco suffixi كَ raro Suffixa alia ratione habita generis et numeri personarum, quibuscum sermo instituitur, ponuntur, v. g. ذَاكِ (de femina), ذَاكُمَا (de duobus) et ذٰلِكُمْ (de pluribus).

c) Eliso لِ orta sunt demonstrativa medii; hinc

Sing.		Dual.
Masc. ذَاكَ iste	Masc.	Cas. rect. ذَانِكَ (ذَانِّكَ)
Fem. تَاكَ (تِيكَ, تِيِّكَ) ista.		Cas. obliq. ذَيْنِكَ (ذَيْنِّكَ)
Plural.	Femin.	Cas. rect. تَانِكَ (تَانِّكَ)
Com. أُولَيِكَ (أُولَآيِكَ).		Cas. obliq. تَيْنِكَ (تَيْنِّكَ)

§ 18. 3. De Pronominibus relativis.

Pronominis relativi radix linguae primitus deest; unde Arabes, sicubi pronomine praemisso relationem indicare videretur, demonstrativis simplicibus usi sunt. Ast relativo distinctius exprimendo orta est vox composita اَلَّذِى, nata ex ذِى (ذَا) demonstrativo, لَ et articulo اَلْ, quae in antiquissima lingua erat sine omni generis et numeri distinctione, quam vero linguae cultura ultimae syllabae variatione induxit; hinc:

Singul. { Mascul. اَلَّذِى (vel decurtatum اَللَّذِ, لَّذِى)
Femin. اَلَّتِى (اَللَّتِ اَللَّتْ)

Dual.	Masc.	Cas. rect.	أَللَّذَانِ (أَللَّذَانِّ, أَلَّاذَا)
		Cas. obliq.	أَللَّذَيْنِ (أَللَّذَيْنِّ)
	Femin.	Cas. rect.	أَللَّتَانِ (أَللَّتَانِّ, أَللَّتَا)
		Cas. obl.	أَللَّتَيْنِ (أَللَّتَيْنِّ)
Plural.	Masc.		أَلَّذِينَ (أَلْأُلِى, أَللَّذُونَ, أَلَّذِى)
	Femin.		أَللَّاتِى (أَللَّاتِ, أَللَّوَاتِى, أَللَّوَاتِ, أَللَّوَا, أَللَّآءِ, أَلــلَّاى).

Not. Formae rariores uncis sunt inclusae.

§ 19. 4. De Pronominibus interrogativis et indefinitis.

A. Pronomen interrogativum est مَنْ quis? de personis, et مَا quid? de rebus; sunt quidem indeclinabilia, ast ubi مَنْ solitarie de persona incerta ponitur, omnes subit flexiones; hinc

Mascul.

Singul.	Dual.	Plural.
Nomin. مَنُو	Cas. rect. مَنَانْ	مَنُونْ
Genit. مَنِى	Cas. obliq. مَنَيْنْ	مَنِينْ
Accus. مَنَا		

Feminin.

Sing.	Dual.	Plural.
مَنَتْ vel	Cas. rect. مَنَتَانْ	مَنَاتْ
مَنْتَ vel	Cas. obl. مَنَتَيْنْ	
مَنَهْ		

Not. مَا praepositionibus ita jungitur, ut una vox prodeat, quare ob interrogantis celeritatem tonique in syllabam priorem progressum

vocalem corripit; sic لِمَ cur? بِمَ quare aut brevius apud poetas لِمْ, بِمْ; ast كَمْ quot? non كِمْ.

B. Interrogativa pronomina etiam sine omni interrogationis specie incertam personam vel rem ponunt (pronomina indefinita); hinc مَنْ denotat et quicunque et ما quodcunque seu quid = graec. τι.

Not. a. Vim interrogativi pronominis habet vox أَيٌّ et flexione gaudet; hinc defectum pronominum مَنْ et مَا supplet. Femin. =

أَيَّةٌ; plur. أَيُّونَ, fem أَيَّاتٌ;

. dual. أَيَّانِ, fem. أَيَّتَانِ.

Not. b. Interrogativo saepe demonstrativum postponitur, ut interrogativum prius ad demonstrativum tantum se referat, demonstrativum vero simul relativi vicibus fungatur, notatque exordium interrogationis vividius, v. g. مَاذَا quid hoc (est), quod (dicis)?

§ 20. 5. De Articulo.

Cum pronominis radice أُلْ (Hebraeorum אֵלֶּה) cohaeret articulus الْ, qui per se solus non occurrit ac omnis generis numerique variationis est expers, sed semper nomini praefigitur. Hujus litera ل, etsi perspicuitatis causa scribitur, literis solaribus immediate subsequentibus assimilatur, quare signum Teśdid literae solari imponitur eodem modo, quo Hebraei literae Articulum subsequenti in compensationem literae ל (הַ ex הַל) nec scriptae nec pronunciatae imponunt signum Dagesch forte (compensativum).

II. CAPUT.

De Verbis.

§. 21. Praemonenda.

1. Omnium orationis partium potissima et numerosissima sunt Verba, quae continent vocum stirpes ideoque primo

loco dilucidanda veniunt. E radice vocalibus brevibus verbo propriis animata seu mota prodit stirps prima et proxima, quae se manifestat in 3. persona singul. Perfecti in Activo*). Verbum tale, quod solis literis radicalibus constituitur, primitivum seu nudum simplexve vocatur estque triliterum vel quadriliterum.

2) E primitivis deducuntur per mutationem aut intrinsecam aut extrinsecam verba derivata vel aucta, quorum mutata forma etiam inducit significationem mutandam (intensivam, frequentativam, causativam, passivam, reflexivam, reciprocam etc.). Operatione seu formatione tali in verbo primitivo facta natae sunt duodecim aliae formae, quae a nonnullis minus apte Conjugationes nominantur; hinc numeratâ simul formâ originariâ tredecim verborum triliterorum formae recensentur, quarum secunda, tertia et quarta auctae sunt una litera servili tantum, formae V.—IX. duabus servilibus et ultimae quatuor tribus literis. Hinc A. singulae formae et B. earum flexio sunt exponendae.

§ 22. A. De verborum (a. triliterorum) Formis.

1. Primae formae significatio est simplex originariaque aut transitiva, aut intransitiva.

Tres verbi Consonantes tribus vocalibus moventur, quarum prima et ultima semper est Fatha; diversitas secundae vocalis inducit discrimen verba transitiva inter et intransitiva hac lege, ut secunda radicalis per Fatha mota designet verbum transitivum (raro intransitivum), per voca-

---

*) Hinc haec persona qua forma verbi simplicissima paradigmatis munere fungitur; typum verborum voluerunt grammatici arabes فعل, ita ut primam radicalem per ف, secundam per ع, et tertiam per ل notent.

lem autem Kesra et Ḍamma mota intransitivum, v. g. قَتَلَ*) occidit, حَزِنَ tristis est, حَسُنَ pulcher est.

Not. Verba ex eisdem Consonantibus composita pro diversitate vocalium, quibus moventur, diversas habere possunt notiones (est haec formatio intrinseca), v. g. رَفَعَ = elevavit, رَفُعَ altum est et رَفَعَ alto cantu utitur.

2. Geminata sola secunda radicali fit forma secunda قَتَّلَ, quae correspondet formae Piël Hebraeorum et Paël Aramaeorum; inducuntur autem hac geminatione sequentes significationes:

a) intensio verbi simplicis, v. g. ضَرَبَ verberavit, in f. 2. ضَرَّبَ verberavit fortiter, percussit;
b) ex intransitivis fiunt transitiva, v. g. حَزِنَ tristis fuit, حَزَّنَ contristavit;
c) saepe induit notionem causativam, v. g. نَزَلَ descendit, نَزَّلَ demisit;
d) saepe actionem re quadam occupatam vel eam perficientem notat, v. g. خَبَّزَ panem (خُبْزٌ) facere, مَرَّضَ aegrotum (مَرِيضٌ) curare = mederi.

3. Forma tertia enascitur e forma prima prolongatione vocalis primae Fatḥa insertô Elif protractionis = قَاتَلَ et denotat a) actionem cujusdam, cujus Objectum in Accusativo ponitur, v. g. شَرِكَ socius fuit, in f. 3. شَارَكَ aliquem socium sibi adscivit; aut b) conatum ac studium actione hac rem tangendi, in alium agendi, v. g. قَتَلَ occidit, قَاتَلَ occidere studuit i. e. oppugnavit, شَرُفَ nobilis fuit, شَارَفَ de nobilitate certavit cum aliquo.

4. Forma quarta formatur primae radicali vocali sua

*) Verbum hoc paradigmatis vices geret.

privatae litera أ praeposita = أَفْعَلَ cum significatione factitiva seu causativa; hinc

a) ex intransitivis form. 1. fiunt transitiva, v. g. حَزِنَ tristis fuit, أَحْزَنَ constristavit;

b) transitiva autem fiunt dupliciter transitiva i. e. ponunt actionem ab alio effectam, v. g. طَرَدَ propulit, أَطْرَدَ propellere jussit.

Not. a. Hac notione forma IV. similis est formae II; saepe tamen sensum diversum exprimit, v. g. أَعْلَمَ certiorem fecit; عَلَّمَ docuit.

Not. b. In multis verbis, praecipue quae a nominibus derivantur, Arabes notionem factitivam non exprimunt, cum scilicet res cogitandi et describendi modum sequuntur, v. g. أَسَنَّ dentes egit i. e. annosum est, أَمْسَى vespere egit i. e. vespere fuit.

Not. c. Correspondet haec forma Hebraeorum Hiphil et Aphel Aramaeorum.

5. Forma quinta oritur e forma secunda praefixa particula تَ = تَفَعَّلَ (ut Hebraeorum Hithpaël et Ethpeël Aramaeorum). Significatio primitiva est a) reflexiva formae secundae cum intensione, v. g. تَخَوَّفَ timuit sibi continuo, تَنَصَّرَ Christianum se fecit.

Not. Saepe notio simplex intensius hac forma describitur, v. g. تَفَتَّشَ studiose quaesivit.

b) altera est effectiva, quae conditionem ex re facta oriundam significat, v. g. عَلَّمَ docuit, تَعَلَّمَ edoctus fuit i. e. didicit.

6. Forma sexta nascitur e forma tertia praefixa particula تَ = تَفَاعَلَ estque significationis a) reflexivae formae tertiae, v. g. تَمَارَضَ aegrotum se simulavit; b) reciprocae, v. g. تَقَاتَلُوا invicem se oppugnaverunt; c) nonnunquam

notionem se gerendi erga alium notat, v. g. تَجَاسَرَ audaciam monstravit; d) plerumque passivum formae tertiae denotat, v. g. عَالَى erexit, تَعَالَى exaltatus fuit.

7. Forma septima formatur e forma prima literâ ن vacua praefixâ cum Hamza prosthetico = إِنْفَعَلَ (respondet formae Niphal Hebraeorum). Sensum habet passivum, ita ut saepe reflexivum etiam cogitari queat, v. g. إِنْغَدَرَ deceptus est et decipi se passus est.

Not. a. Prima radicalis verbi ن cum ن characteristica formae hujus coalescit per Teśdid, v. g. إِنَّصَرَ pro إِنْنَصَرَ adjutus fuit.

Not. b. Ob primam radicalem م mutatur ن formae VII. saepe in م, quacum coalescit per Teśdid, v. g. إِمَّلَسَ pro إِنْمَلَسَ a مَلُسَ mollis fuit (vid. §. 8. 4.).

8. Forma octava enascitur e forma prima inserto ت post primam radicalem, cui praefigitur Hamza prostheticum = إِفْتَعَلَ (pro إِفْتَعَلَ). Sensu gaudet a) reflexivo simplici formae primae, v. g. إِعْتَكَرَ obscuravit se; b) nonnunquam reciproco, v. g. إِخْتَصَمَ inter se litigavit; c) saepe forma haec graeci medii instar actionem signat, quam agens sibi facit, v. g. إِخْتَارَ sibi elegit et d) tandem notione passiva gaudet, v. g. إِجْتَمَعَ collectus fuit, إِمْتَلَأَ impletus fuit.

Not. a. Prima radicalis ت coalescit cum litera ت characteristica f. VIII. v. g. إِتَّبَعَ persecutus fuit a تَبَعَ.

Not. b. Ob 1. radic. ص, ض, ط et ظ litera ت euphoniae gratia (vid. § 8. 5—7.) transit in emphaticam ط, quae cum 1. rad. ط necessario per Teśdid coalescit, v. g. إِطَّرَدَ profligatus est a طَرَدَ propulit; cum 1. rad. ض et ظ ad libitum, v. g. إِضْطَرَبَ vel إِضَّرَبَ a ضَرَبَ verberavit; cum 1. denique radicali ص non coalescit ط, nisi mutetur in eandem ص, hinc إِصْطَلَحَ vel إِصَّلَحَ a صَلَحَ aptus fuit.

Not. c. Ob primam radicalem د, ذ et ز litera ت formae octavae semper convertitur in د, quae cum eadem د debet, cum simili ذ et ز potest per Teśdid coalescere, v. g. إِدَّفَعَ a دَفَعَ propulsavit; إِذْدَكَرَ vel إِذَّكَرَ a ذَكَرَ meminit; إِزْدَلَقَ vel إِزَّلَقَ a زَلَقَ movit.

Not. d. Prima radicalis ث vel mutatur in ت vel mutat literam ت formae VIII. in ث, quo facto coalescunt per Teśdid, v. g. إِثَّبَتَ vel إِتَّبَتَ a ثَبَتَ constitit.

Not. e. Nonnunquam litera ت formae VIII. transit in eandem cum prima radicali س et ش, v. g. إِسَّمَعَ vel إِسْتَمَعَ a سَمَعَ audivit; إِشَّبَهَ vel إِشْتَبَهَ a شَبَهَ similis fuit.

9. Forma nona enascitur e forma prima geminatione ultimae radicalis, praefixa tamen primae radicali vacuae litera Hamza prosthetica = إِقْتَلَّ. Geminatio haec notat continuationem qualitatis seu proprietatem quandam rei inhaerentem, innatam; hinc de coloribus praecipue rebus insitis vitiisque corpori inhaerentibus dicitur, v. g. إِحْمَرَّ rubuit, إِسْوَدَّ niger fuit, إِبْيَضَّ albuit, إِعْوَجَّ curvus fuit, إِعْوَرَّ luscus fuit.

10. Forma decima formatur e forma prima praefixa primae radicali vacuae syllaba إِسْتَ = إِسْتَقْتَلَ et reddit verbum factitivum a) reflexivum seu medium, v. g. إِسْتَسْلَمَ tradidit se, إِسْتَوْحَشَ se contristavit; b) dein significat actionem, quam quis sibi facit, hinc إِسْتَمْسَكَ firmiter tenuit suum.

Not. Facere sibi denotare potest aut habere sibi i. e. putavit, v. g. إِسْتَوْجَبَ necessarium putavit, aut sibi petere, hinc إِسْتَغْفَرَ veniam sibi petiit.

11. Forma undecima formatur ex IX. inserto post 2. radicalem Elif quiescenti = إِقْتَالَّ et est ejusdem cum nona significationis ast intensivae, v. g. إِصْفَارَّ flavissimus fuit.

12. Formae duodecima oritur e forma prima inserto و inter mediam radicalem geminandam et praefixo primae radicali vacuae Hamza prosthetico = إِقْتَوْتَلَ.

13. Forma decima tertia formatur e forma prima insertione literae و geminatae post secundam radicalem et praefixo primae radicali vacuae Hamza prosthetico = إِقْتَوَّلَ.

Utraque ultima forma intendit vim verbi qualitatem inhaerentem seu diuturnam significantis, v. g. إِخْشَوْشَنَ asperrimus fuit et إِعْلَوَّطَ implicavit se rei importune.

Not. a. Tres ultimae formae rarissime tantum occurrunt.

Not. b. Nullum verbum est, de quo uno omnes illae formae auctae sint usitatae.

Not. c. Praeter singula verba, quae passivo sensu e notione sua dici nequeunt, formae IX. et XI., quia intransitivum semper habent sensum, passiva significatione carent.

§ 23. b) De verbis quadriliteris.

1. Stirpes verborum quadriliterae oriuntur e triliteris aut geminata una radicalium aut addita aliqua litera ad radicales et sequuntur normam triliterorum.

2. Formae quadriliterorum verborum nonnisi quatuor sunt receptae:

forma 1. قَتْلَلَ	forma 3. إِقْتَنْلَلَ
forma 2. تَقَتْلَلَ	forma 4. إِقْتَلَلَّ

Not. a. Secunda, in qua praefigitur تَ, sensum habet passivum, reciprocum, intensivum quoque et correspondet formae quintae triliterorum, v. g. تَدَحْرَجَ revolutus fuit et se revolvit a دَحْرَجَ revolvit.

Not. b. Forma tertia quadriliterorum similis est formae septimae triliterorum cum significatione intransitiva, v. g. إِعْلَنْدَى robustus est.

Not. c. Forma quarta convenit cum forma nona triliterorum notatque intensionem et extensionem maximam actionis intransitivae vel proprietatis, v. g. إِقْشَعَرَّ summo horrore correptus est.

B. De verborum Flexione.

§ 24. Praemonenda.

1) Omnes hae tam varie formatae verbi stirpes unam tantum habent temporum et modorum personarumque formationem seu conjugationem. Temporum modorumque ratio et indoles in lingua arabica a lingua indogermanica valde distat; lingua enim semitica inter duas tantum subsistit formas, quae temporis modique discrimen universum exprimunt. Hae duae formae ita se differunt, ut altera rem perfectam eoque certam, altera nondum perfectam ideoque incertam enunciet. Forma prior tempus perfectum et absolutum, altera imperfectum aut universe futurum aut coeptum tantum necdum absolutum sistit.

Not. a. Denominatio „futuri" pro imperfecto notioni haud satis est apta et ab usu arabico multum aliena. Recipi potest nominatio Aoristi I. pro perfecto et Aoristi II. pro imperfecto, qùia uterque prò varia textus serie etiam varia tempora denotare solet.

Not. b. In lingua excultiori accesserunt et variae tempora modosque accuratius distinguendi rationes, quae infra sunt dilucidandae; ast nunquam lingua arabica eam, quae lingnam indogermanicam hac in re nobilitat, perspicuitatem cum concinnitate conjunctam est nacta.

2. Cum Aoristus II. actionem imperfectam denotat, haec forma variationibus multis seu modis est obnoxia, quorum quinque enumerantur: a) primus exhibet formam per se stantem, quasi in casu recto notaturque vocali Damma, Nominativi signo = Indicativus seu modus raf'atus (i. e. in Nominativo); b) secundus exhibet formam alii orationis membro subjectam in casu obliquo et vocatur Subjunctivus (Conjunctivus, antitheticus) vel naṣbatus (i. e. signo â casus obliqui notatus); c) tertius modus est ǵezmatus seu apocopatus vel Jussivus i. e. forma in fine contracta et decurtata; est enim jussivi, cujus vices gerit, lex, ut forma a fine rapidius et brevius enuncietur; d) quartus modus

est imperativus, qui ex jussivo majori etiam loquelae rapiditate ortus est et e) modus emphaticus vel energicus seu paragogicus suffixâ scilicet in fine particulâ anna vel an, ut sermoni major vis et pondus addatur.

Not. Infinitivum et Participium, quae nostri grammatici ad modos referunt, Arabes nominibus accensent.

3. Personae sunt tres: prima, secunda et tertia; tertia persona, quae formam simpliciorem seu stirpem exhibet, primo loco in paradigmate ponitur.

4. Numeri quoque sicut Genera sunt tria, scilicet: Singularis, Dualis et Pluralis, ac: Masculinum, Femininum et Commune.

5. Verba dividuntur in Verba perfecta, firma (Arabice: sana), quae tres habent literas radicales semper praesentes ac mobiles, et in imperfecta, infirma (arabice: non sana), quae vel secundam et tertiam radicalem habent eandem, vel inter radicales unam aut plures literarum infirmarum ايو mutationibus certis supra indigitatis obnoxiarum continent; nihilominus tamen omnia verba haec unam eandemque analogiam in flexione sequuntur.

Not. Minus apte imo falso verba imperfecta vocantur irregularia, nam mutationes, quas subeunt eorum radicales, certis et definitis innituntur regulis.

1. De flexione verbi perfecti (firmi).

§. 25. a) Activum formae primae.

Verbis flectendis inserviunt notae, quae ortae sunt e decurtatis pronominibus personalibus, et verbis aut suffiguntur ut in praeterito (notae afformativae), aut praefiguntur ut in Aoristo II. (notae praeformativae), et quidem modo prorsus speciali et inseparabili, ita ut se differant a suffixis verborum et nominum separabilibus. Sunt autem afformativa, quae verbis flectendis in praeterito inserviunt, sequentia:

Aor. I.

Singul. Masc.	Singul. Fem.	Dual. Masc.	Dual. Fem.	Plural. Masc.	Plural. Fem.
3. p. —	تْ	ا	تَا	وا	نَ
2. p. تَ	تِ	com. تُمَا		تُمْ	تُنَّ
1. p. com. تُ		. . . . . .			نَا

Et praefixa, quae verbis flectendis in Aoristo II. inserviunt, sunt sequentia:

Aoristus II.

Singul.	Dual.	Plural.
3. pers. masc. ي	3. pers. masc. ي	3. pers. com. ي
3. pers. fem. ت	3. pers. fem. ت	
2. pers. com. ت	2. pers. com. ت	2. pers. com. ت
1. pers. com. أ		1. pers. com. ن

Notanda.

α. ad Suffixa.

1. Cum et genus esset distinguendum, in 3. pers. sing. Aor. I. additum est characteristicon generis feminini = ت hinc قَتَلَتْ. Suffixum 3. pers. plur. وا ortum est ex وَن et نَ ex هُنَّ, hinc قَتَلُوا et قَتَلْنَ.

2. Formationem 2. person. e pronomine personali descendere, facile est intellectu; nam تَ ortum est ex أَنْتَ et femin. تِ ex أَنْتِ; in plural. تُمْ et تُنَّ ex أَنْتُمْ et أَنْتُنَّ, hinc قَتَلْتَ, قَتَلْتِ; قَتَلْتُمْ et قَتَلْتُنَّ.

3. Primae personae plural. afformativum نَا ortum est ex نَحْنُ; suffixum autem prim. personae sing. ت e 2. persona huc traductum esse et vocalis i (ex ani, quae in lingua hebraica adhuc est servata) in u transiisse videtur, quâ distinguatur a 2. person. feminin., hinc قَتَلْنَا et قَتَلْتُ.

4. Duali distinguendo inservit litera ا, quae in femin. cum ت coalescit; 2. personae suffixum plane est desumtum de pronomine, hinc قَتَلَا, قَتَلْتُمَا et قَتَلْتُمَا.

Not. Tertia radicalis ن cum ن 1. pers. plur. coalescit per Teśdid, v. g. أَمَنَّ; similiter 3. radicalis ت cum afformativo, ت v. g. ثَبَتُّ, quod simul euphoniae gratia ante literas dentales mutationes consuetas subit.

β. ad Praefixa.

1. Flexioni Aoristi II. praefixa inserviunt; sed cum e lege formationis ab initio stirpium non possit bene nisi una litera simplex adjici, si forte haec litera generis numerique distinctioni haud sufficiat, horum notae et in fine annectuntur.

2. Praefixum 1. pers. sing. أ ortum est ex أَنَا, sicut plur. نَ ex نَحْنُ. Praeformativum ي ortum esse videtur ex هُوَ mutata و in ي, quia Hebraei et Aramaei و ab initio non amant, aut ex هِيَ, quod olim generis communis erat.

3. Numeri generisque denotatio eadem, quae personis in Aor. I. propria est, in fine adjicitur; pro û (وا) 3. plur. masc. tamen hic forma plenior „una" (ونَ) servata est, ونَ scil. ex هُمْ orto; in 2. person. sing. accedit ينَ (ad i ex pronomine „anti" ortum accedit „na" e formarum una similitudine).

Dualis terminatio hic quoque non est simplex, sed plenior انِ terminationibus „una" (3. p. pl.) et „ina" (2. pers. fem. sing.) respondens.

4. Haec praeformativa constanter notantur per Fatha, quo facto prima radicalis redditur vacua ob nexum arctissimum, qui intercedit praefixum inter et primam radicalem: يَقْتُلُ. Secunda radicalis movetur praeter Fatha et per Kesra et Damma; quaelibet harum vocalium dein in tota flexione ser-

vatur. Nonnulla verba in 2. radic. duas aut omnes tres Vocales tum in Aor. I. tum II. admittunt, e qua variatione sex oriuntur species; hinc

Vocalis in Aoristo I. transit in Vocalem in Aor. II:

	in Aor. I.		in Aor. II.
a) a	ضَرَبَ	transit in e	يَضْرِبُ
b) a	نَصَرَ	„ „ u	يَنْصُرُ
c) a	فَتَحَ	manet	يَفْتَحُ
d) e	عَلِمَ	transit in a	يَعْلَمُ
e) e	حَسِبَ	manet	يَحْسِبُ
f) u	كَرُمَ	„	يَكْرُمُ.

Not. a. Tres priores species significationem habent transitivam et intransitivam; quarta et quinta intransitivam vel neutram, in quo statu quis per accidens versatur, sexta autem indicat qualitatem inhaerentem.

Not. b. Cujus sunt speciei singula verba, Lexica docent, quae diversam vocalem secundae radicalis in Aoristo II. indicant hoc modo: Fut. a, Fut. i, Fut. o ad stirpem apposito.

PARADIGMA.

Aor. I.

	Singularis. Masc.	Singularis. Femin.	Dualis. Masc.	Dualis. Femin.	Pluralis. Masc.	Pluralis. Femin.
3. p.	قَتَلَ	قَتَلَتْ	قَتَلَا	قَتَلَتَا	قَتَلُوا	قَتَلْنَ
2. p.	قَتَلْتَ	قَتَلْتِ	قَتَلْتُمَا		قَتَلْتُمْ	قَتَلْتُنَّ
1. p.	قَتَلْتُ				قَتَلْنَا	

Aor. II.

	Singularis. Masc.	Singularis. Femin.	Dualis. Masc.	Dualis. Femin.	Pluralis. Masc.	Pluralis. Femin.
3. p.	يَقْتُلُ	تَقْتُلُ	يَقْتُلَانِ	تَقْتُلَانِ	يَقْتُلُونَ	يَقْتُلْنَ
2. p.	تَقْتُلُ	تَقْتُلِينَ	تَقْتُلَانِ		تَقْتُلُونَ	تَقْتُلْنَ
1. p.	أَقْتُلُ				نَقْتُلُ.	

§. 26. De formatione Modorum. (Tab. II.)

Diversi verborum modi formantur variatione tantum vocalis in ultima radicali Aoristi II.

a) Indicativus seu modus rectus indicatur constanter vocali Ḍamma (signo Nominativi) in ultima radicali, v. g. يَقْتُلُ.

b) Modus obliquus seu Aoristus antitheticus* (Subjuncticus) assumit in ultima radicali vocalem Fatḥa (signum accusativi) pro Ḍamma Indicativi et semper ponitur post particulas „ut" significantes: أَنْ, أَوْ, لِ etc. v. g. يَقْتُلَ.

c) Modus apocopatus seu ǵezmatus (Conditionalis) abjicit vocalem ultimae radicalis Indicativi, quae dein signum Ǵezma accipit, v. g. يَقْتُلْ.

Not. a. Tum in modo antithetico, tum ǵezmato sonus nasalis perit demtis personis femininis in plurali distinctionis causa; hinc in plurali. 3. p. masc. يَقْتُلُوا, ast femin. يَقْتُلْنَ.

Not. b. Modus ǵezmatus ponitur post particulam negativam لَمْ vel لَمَّا (compositam ex لَا مَا nondum), de qua in Syntaxi agetur.

d) Modus emphaticus seu paragogicus formatur ex Indicativo addita in fine vel litera ن vacua (Nun levi), vel geminata et mota per vocalem Fatḥa (Nun gravi).

Not. a. Nun grave omnibus personis additur motum per Fatḥa, exceptis toto Duali et Plurali in femininis personis tantum, quae moventur per Kesra. Ultima radicalis semper insignita est vocali Fatḥa exceptis secunda persona femin. sing. mota per Kesra et tertia secundaque persona mascl. plur. mota per Ḍamma, postquam in primo casu ى, in altera و est excisa. In feminino pluralis inter tertiam radicalem et ن inseritur ا.

* sic nominatus, quia Indicativo est oppositus.

PARADIGMA.

	Singularis.		Dualis.		Pluralis.	
	Masc.	Femin.	Masc.	Femin.	Masc.	Femin.
3. pers.	يَقْتُلَنَّ	تَقْتُلَنَّ	يَقْتُلَانِّ	تَقْتُلَانِّ	يَقْتُلُنَّ	يَقْتُلْنَانِّ
2. „	تَقْتُلَنَّ	تَقْتُلِنَّ	تَقْتُلَانِّ		تَقْتُلُنَّ	تَقْتُلْنَانِّ
1. „	أَقْتُلَنَّ				نَقْتُلَنَّ.	

Not. b. Nun leve nunquam accedit in Duali utriusque generis nec in Plurali feminino.

Not. c. Modus hic Aoristus paragogicus vocatur, quia augmentum (παραγωγη) sc. ن additur Aoristo II. Melius appellatur emphaticus seu energicus, quia confirmat cum emphasi actionem absolute futuram vel non futuram, praecipue in petitionibus, mandatis, interrogationibus, adsertis et juramentis.

e) Imperativus formatur e modo apocopato; abjicitur enim litera praeformativa, quo facto, si prima radicalis esset vacua, assumi debet Elif prostheticum motum vocali Kesra, nisi ob Damma in secunda radicali sit assumenda vocalis Damma. Haec formatio nonnisi in secunda persona Imperativi locum habet; nam tertia integra et prima pluralis persona Imperativi exprimitur per modum ǵezmatum praefixa particula لِ vel elegantius فَلْ. Si modo ǵezmato praemittitur particula negandi لَا, oritur Imperativus prohibitivus.

Not. Uterque Imperativi modus Nun paragogicum tum grave tum leve iisdem servatis conditionibus recipit.

PARADIGMA IMPERATIVI.

	Singul.		Dualis.		Pluralis.	
	Masc.	Femin.	Masc.	Femin.	Masc.	Femin.
3. pers.	لِيَقْتُلْ	لِتَقْتُلْ	لِيَقْتُلَا	لِتَقْتُلَا	لِيَقْتُلُوا	لِيَقْتُلْنَ
2. „	أُقْتُلْ	أُقْتُلِي	أُقْتُلَا		أُقْتُلُوا	أُقْتُلْنَ
1. „					لِنَقْتُلْ.	

4*

§ 27. De Infinitivo et Participio.

1. Infinitivum et Participium Arabes nominibus accensent eaque nomina **verbalia** appellant, quia cum verbis intime cohaerent; nam iis utuntur, quando verbi notio ex orationis nexu nominis formam induere debet aut personam denotantis, cui actio tribuitur (participium), aut simplicem actionem loquentis (infinitivus) designantis.

Not. Infinitivus nomen actionis appellatur, participium autem nomen agentis (in activo) et nomen patientis (in passivo).

2. In forma prima est magna formarum infinitivo inservientium copia; enumerantur enim ultra triginta, quae tamen omnes de eodem verbo nunquam occurrunt (vide Tab. XI.). Usitatissimae Infinitivi formae sunt sequentes:

قَتْلٌ, قَتَلٌ, قَتَالَةٌ, قُتُولٌ etc.

3. Participium formae primae formatur e tertia persona sing. mascul. perfecti insertâ literâ Elif post primam radicalem, v. g. قَاتِلٌ.

§ 28. b. Passivum formae primae (Tab. I).

1. Formatio vocis passivae per omnes formas est plane **intrinseca**, quae vocalium tantum mutatione fit; nam in passivo Aoristi I. prima verbi radicalis semper est mota vocali Damma et secunda Kesra; in Aoristo II. autem praeformativa litera adsciscit Damma et secunda radicalis vocalem Fatha; hinc

Aor. I. قُتِلَ et Aor. II. يُقْتَلُ.

2. Flexio singularum personarum passivae vocis in utroque tempore est eadem, quae locum habet in Activo.

3. Passivum caret Infinitivo et Imperativo per omnes verborum formas, qui per circumscriptionem supplentur.

4. Participium formatur e stirpe simplici praefixo مَ primae radicali vacuae et insertâ literâ و post secundam radicalem, v. g. مَقْتُولٌ

§ 29. De reliquis formis verbi triliteri (Tab. III).

A. ACTIVUM.

Flexio reliquarum formarum verbi firmi per omnia tempora cum flexione formae primae prorsus convenit mutandis tantum vocalibus, et quidem:

1. Praeformativa litera Aoristi II. mota est in omnibus formis per Fatḥa, formis II. III. et IV. exceptis, quarum praeformativa movetur per Ḍamma.

Not. Accedentibus praeformativis litera Hamza prosthetica, ubi occurrit, expungitur, scilicet in IV. et VII.—XIII. formis.

2. Secunda radicalis semper insignita est vocali Kesra, exceptis V. et VI. formis, in quibus secunda radicalis adsciscit Fatḥa.

Not. Vocalis Kesra est characteristica pro Activo, sicut pro Passivo Fatḥa.

3. Imperativus sequitur prorsus Aoristum ǵezmatum, a quo formatur abjectâ litera praeformativa ejusque in locum substituto Hamza prosthetico in iis formis, quibus Hamza in perfecto praeponitur, videlicet in IV. et VII.—XIII. formis.

4. Participia formantur ex Aoristo II. activo mutata praeformativa in مُ; secunda radicalis in Activo constanter est mota vocali Kesra, in passivo autem vocali Fatḥa.

B. PASSIVUM.

1. In perfecto prima radicalis est mota vocali Ḍamma et secunda Kesra in formis II. III. et IV.; in reliquis vero formis duae priores vocales sunt Ḍamma et penultima Kesra.

2. Aoristus II. omnium formarum in praeformativâ adsciscit Ḍamma et in secunda radicali Fatḥa.

Not. a. Aoristi II. passivi formae distinguuntur ab activis diversitate tantum vocalium in secunda radicali (sicuti participia), exceptis formis V. et VI., quae rursus diversitate vocalium in praeformativis sunt distinctae.

§ 30. De flexione verborum quadriliterorum. (Tab. IV).

Formae verbi quadriliteri stricte sequuntur formas II. V. VII. et IX. verbi triliteri.

§ 31. 2. De flexione verborum imperfectorum. (Tab. V—XI).

Verba imperfecta dicuntur ea, quae in flexione plus minusve recedunt a norma verbi perfecti et quidem ob unius pluriumve radicalium indolem et legem particularem.

Variatio haec adducitur applicatione regularum de concentratione, quiete, conversione, abjectione et mutationibus Hamzae supra expositarum; nam haec est linguae arabicae virtus, ut pronunciatio sit robustior, constantior et distinctior. Hinc verba imperfecta in quatuor distribui possunt classes:

a) Verba geminata seu contracta, quorum secunda radicalis cum tertia est eadem.

b) Verba hamzata, quorum prima, aut secunda, aut tertia radicalis est litera Hamza.

c) Verba infirma, inter quorum radicales una e literis infirmis ى vel و occurrit; et

d) Verba multifarie infirma, quorum duae radicales mutationibus supra dictis sunt obnoxiae.

§. 32. a. De verbis contractis.

Verbis, quae secundam radicalem geminant, applicandae sunt regulae Concentrationis (vide § 9.); contractio ergo, ubi est licita, in verbi flexionibus semper legis instar est.

Not. a. In Aor. I. passivo vocalis characteristica Kesra secundae radicalis in 3. persona concentrationis causa perit excepta 3. persona plur. femin.; in Aor. II. passivo autem vocalis characteristica Fatḥa e secunda radicali in primam vacuam praemittitur, v. g ex يُمْدَدُ fit يُمَدُّ.

Not. b. Praeter pluralem femin. in toto Aoristo II. (exceptis tamen ġezmato et imperativo modis) concentratio semper est necessaria.

Not. c. In formis II., V., IX., XI. et XIII. concentratio fieri nequit ob Teśdid characteristicum harum formarum jam impositum.

Not. d. Ob longam vocalem praecedentem lingua arabica concentrationem nequaquam respuit, consonantem scilicet duplicem, quae est ejus vis singularis, post longam vocalem ferens, v. g. f. III. = مَادَّ f. VI. = تَمَادَّ etc.

Not. e. Concentrationis factae causa (qua vocalis literae e geminandis primae perit) participia formarum III., VI., VII., VIII. in activo et passivo omni carent discrimine et e contextu tantum cognosci debent.

§ 33. b. De verbis hamzatis.

Gutturalibus literis, quibus et Elif hamzatum accensetur, in dialectis semiticis hoc est commune, ut in Aoristo II. formae primae secunda radicalis ob gutturalem sive praecedentem, sive subsequentem vocali a pronuncietur, v. g. يَفْعَلُ.

Verba hamzata sequuntur regulas Hamzae (vide § 14.) et triplicis sunt generis, prout Hamza primam, aut secundam, aut tertiam verbi radicalem constituat.

α. Verba primae radicalis أ = فأ.

NOTANDA.

1. Imperativus, qui per se vocis celerem decursum juvat, verborum أَخَذَ cepit, أَكَلَ edit, أَمَرَ jussit et أَتَى venit, primam radicalem prorsus amittit, quin praefigatur vocalis brevis; hinc خُذْ, كُلْ, مُرْ et تِهْ. Praefixa vero particula وَ et فَ, prima radicalis redit, ut وَأْمُرْ, فَأْكُلْ.

2. Hamza nonnunquam sequente Elif protractionis in و transit, uti in forma III. et VI., v. g. pro آمَلَ fit وَامَلَ, تَوَاكَلُوا pro تَآكَلُوا (orto ex تَأَاكَلُوا).

3. Prima radicalis Hamza cum litera ت formae octavae characteristica per Teśdid confluit, v. g. إِيتَمَلَ (form. VIII. ab أَمَلَ) transit in إِتَّمَلَ, ex يَأْتَمِلُ fit يَتَّمِلُ.

β) Verba secundae radicalis أ = عَأ.

NOTANDUM.

Cum Hamza qua spiritus mollissimus aegre geminationem vix distincte audiendam ferat, eo facilius in ي vel و mutatur, quo facto verba haec sequuntur flexionem verborum mediae radicalis ي vel و, v. g. سَالَ pro سَأَلَ; يَسَلُ pro يَسْأَلُ aut يَسْئَلُ; imper. سَلْ pro إِسْأَلْ.

γ) Verba tertiae radicalis أ = لأ.

NOTANDA.

1. Hamza syllabam finiens praecedente Fatha manet, v. g. قَرَأَ legit; post vocales autem Kesra vel Damma abit in ئ vel ؤ, v. g. pro هَنَأَ fit هَنِئَ dedit, pro دَنَأَ fit دَنُؤَ vilis fuit.

2. Elif servile, quando cum Hamza concurrit, aut coalescit cum litera hamzata per signum Madda, aut manet, literâ hamzata vero per signum Hamza tantum expressâ, v. g. آمَنَ pro أَأْمَنَ credidit, إِيمَانٌ pro إِأْمَانٌ credens.

§ 34. c. De verbis infirmis.

In flectendis ejusmodi verbis observandae sunt regulae quietis (vid. § 11.), conversionis (§ 12.) et abjectionis (§ 13.) expositae. Verba haec infirma in tres classes abeunt, quarum primam constituunt verba primae radicalis ي vel و, secundam verba secundae radicalis ي vel و et tertiam verba, quorum tertia radicalis est ي vel و.

Prima classis: Verba primae radicalis ي et و.

α) Verba primae radicalis و = فو.

1. Radicum, quae cum و et ي incipiunt, idem fere numerus primitus fuisse videtur; in lingua arabica و (in hebraica ي) tanto invaluit, ut verba ab ي incipientia pauca

tantum sint. Litera و verborum فو, quorum secunda radicalis in Aoristo II. et Imperativo formae I. mota est Kesra, abjicitur, v. g. pro يَوْعِدُ fit يَعِدُ a وَعَدَ promisit, manet tamen, si secunda radicalis mota est Fatha aut Damma, et aut diphthongescit aut convertitur, v. g. يَوْجَلُ (Aor. II.) et إِيجَلْ (imper.) pro إِوْجَلْ a وَجِلَ timuit.

Not. Septem verba expungunt و, quamvis in secunda radicali Aor II. notentur Fatha, quae vero ob ultimam aut penultimam gutturalem loco Kesra est posita; sunt sequentia: وَطِئَ conculcavit (Aor. II. يَطَأُ, imp. طَأْ), وَسِعَ amplus fuit, وَقَعَ cecidit, وَدَعَ reposuit, وَذَرَ permisit, وَهَبَ dedit et وَضَعَ posuit.

2. و (et similiter ى) in forma VIII. mutatur in ت, quocum coalescit per Tešdid, v. g. pro إِوْتَعَدَ fit إِتَّعَدَ a وَعَدَ promisit.

β) Verba primae radicalis ى = فى.

1. Verba haec paucissima flectuntur eodem modo, quo verba firma, v. g. يَبِسَ aridus est in Aor. II. يَيْبَسُ. Praecedente vero Damma ى vacua convertitur in و, v. g. يُوقِظُ pro يُيْقِظُ expergefecit.

2. Si ى (et و) in forma VIII. non mutatur in ت, applicandae sunt regulae conversionis, v. g. إِتَّعَدَ et إِيْتَعَدَ (pro إِوْتَعَدَ) forma VIII. a وَعَدَ, et أُوتُسِرَ pro أُيْتُسِرَ a يَسَرَ levis est.

Secunda classis: Verba secundae radicalis ى et و = عو et عى.

1. Ob Fatha in prima radicali exhibent verba haec secundam radicalem ا quiescentem ortam ex و aut ى, quae radicalis verbis propria apparet in Aoristo II. aut in Infinitivo, v. g. قَالَ, in Aor. II. يَقُولُ, hinc forma simplex proprie

esset قَوَلَ dixit; سَارَ habet in Aor. II. يَسِيرُ, hinc proprie a سَيَرَ incessit.

2. In flectendis verbis his applicantur regulae literarum infirmarum; hinc si syllaba fit clausa, excidit ى et و, distinctionis vero causa prima radicalis movetur Dammâ in signum mediae و expunctae, aut Kesrâ propter mediam ى elisam, v. g. قُلْتَ et سِرْتَ, quod et locum habet in modo gezmato et Imperativo.

Not. Mutatione hac facta prima radicalis in imperativo movetur, hinc Elif protheticum qua supervacuum excidit, v. g. قُلْ et سِرْ.

3. In participio activo formae primae ى et و abeunt in Hamza, v. g. قَائِلٌ et سَائِرٌ; in passivo vorborum عو una litera و ejicitur, hinc ex مَقْوُولٌ fit مَقُولٌ exceptis tribus participiis: مَصْوُونٌ custoditus, مَدْوُونٌ contemptus, مَقْوُودٌ ductus. In verbis عى servata ى jure radicis mutat Damma in Kesra, v. g. pro مَسْيُورٌ fit مَسْيُورٌ et inde مَسِيرٌ.

Not. Apud poëtas participium hoc regulari modo formatum occurrit, v. g. مَبْيُوعٌ venditus.

4. Infinitivus formae IV. et X. ejicit Elif servile, in cujus compensationem in fine annectitur ة, v. g. pro إِقْوَالٌ fit إِقَالَةٌ.

Not. Sunt verba عو et عى, quorum literae infirmae tractantur consonantium firmarum instar, v. g. عَوِرَ monoculus fuit, صَيَدَ venatus est; vel verba, quae in forma prima sunt infirma, firma autem in reliquis formis, ut: رَاحَ spiravit in f. IV. أَرْوَحَ et أَرَاحَ, غَامَ nubilosum fuit, f. 4 أَغْيَمَ et أَغَامَ, جَابَ secuit, in f. X. إِسْتَجْوَبَ et إِسْتَجَابَ.

Tertia classis: Verba tertiae radicalis ى et و = لى et لو (a et b Tab.).

Pro diversa vocali, qua mota est secunda radicalis, diversae anomaliae horum verborum notandae sunt.

1. Non mutantur verba لو, quorum secunda radicalis mota est Ḍamma, v. g. سَرُوَ generosus fuit, nec verba لى, quorum secunda radicalis insignita est Kesra, ut خَشِيَ timuit.

2. Verba لو intransitiva, quorum secunda radicalis est mota per Kesra, mutant in hujus vocalis gratiam tertiam radicalem و in ى servata tamen sua vocali Fatḥa in distinctionem verborum لى, v. g. ex رَضِوَ fit رَضِيَ contentus fuit; e contra ex رَمَيَ fit رَمَى jecit.

3. In tertia persona plur. masc. Perfecti abjiciuntur ى et و; si secunda radicalis mota erat Fatḥa, remanet Fatḥa et diphthongescit, alias recipit secunda radicalis vocalem Ḍamma ex tertia radicali abjecta, ut: ex غَزَوُوا fit غَزَوْا (a غَزَا pro غَزَوَ pugnavit), e contra ex رَضِيُوا fit رَضُوا. Similiter in verbis لى, ut: ex رَمَيُوا fit رَمَوْا, e contra ex خَشِيُوا fit خَشُوا (a خَشِيَ timuit).

4. In syllaba aperta ى et و cum Fatḥa praecedente diphthongum constituunt, v. g. غَزَوْتَ et رَمَيْتَ.

5. In passivo tertia radicalis verborum لى et لو ob praecedentem Kesra constanter est ى, v. g. غُزِيَ, رُمِيَ et رُضِيَ (vide Tab. VI).

6. In Aoristo ǵezmato et imperativo ultima radicalis vacua excidit, ut يَغْزُ et أُغْزُ, يَرْمِ et إِرْمِ.

7. In participio utroque, excepto participio passivo f. I. nunnatio in masculino sing. retrahitur, quo facto in Activo ultima radicalis infirma abjicitur, v. g.

غَازٍ ex غَازِوٌ ast in femin. غَازِيَةٌ
رَامٍ „ رَامِيٌ „ „ „ رَامِيَةٌ

part. pass. f. II. مُغَزًّى, e contra f. I. مَغْزُوٌّ.

§ 35. d. De verbis multifarie infirmis.

Si stirps plures ex his infirmitates complectitur, flexiones infirmae in eadem plures simul oriuntur. Sed ne omnes omnino, quae cogitari possint infirmitates, stirpi inhaereant, stirpium jam prohibuit formatio, cum concursus literarum per se perdifficilis sedulo evitatur. Haec verba, quae arabice involuta seu mixta nominantur, in tres dividi possunt classes: ad primam classem pertinent verba, quorum duae radicales sunt literae infirmae; ad secundam referuntur verba infirma et hamzata simul; tertiam constituunt verba tripliciter imperfecta.

Prima classis: Verba duarum radicalium infirmarum.

Verba hujus classis rursus abeunt in duas species: α) aut duae literae infirmae sunt α) disjunctae aut β) conjunctae. Ad primam speciem pertinent verba, quae radicales primam et tertiam habent infirmas ideoque disjuncta appellantur; ad secundam verba illa, quorum secunda et tertia radicales sunt infirmae ideoque conjuncta audiunt.

α) Verba infirma disjuncta.

Quia verborum horum circa mediam radicalem firmam prima et tertia radicales sunt infirmae, utraque infirmitatibus suis subjicitur; sequuntur ergo verba haec quoad primam radicalem flexionem verborum فو et quoad tertiam flexionem verborum لى (لو b), v. g. وَقَى custodivit, وَجِىَ ungulas attritas habuit, وَلِيَ praefuit.

NOTANDA.

1. In Aor. II. prima radicalis excidit (vide § 34 c. α. 1), v. g. يَقِى, يَلِى; manet tamen in يَوْجَى (vide ibi).

2. Imperativo una tantum litera constanti adjungitur ه vacuum, He silentii seu sistentiae dictum, quale in pausa cuilibet accedit modo gezmato et Imperativo Verborum لو et

لِ, hinc pro قِ fit قِهْ (ex وَقَى), ex لِ fit لِهْ (ex وَلِيَ), e contra إِيجَمْ (a وَجَى).

Not. Pauca sunt verba, quorum prima radicalis est ى, v. g. يَدَى contigit in manu, et sequuntur quoad talem flexionem verborum فى.

β) Verba infirma conjuncta.

Sunt verba haec ea, quorum secunda radicalis est و vel ى ante tertiam radicalem و vel ى, in quibus flectendis observandum est, quod radicalis secunda maneat regularis seu firma et tertia radicalis infirma tantum mutationum legibus sit obnoxia. Distingui possunt in triplicem classem:

1. Verba, quorum secunda radicalis est و et tertia ى, v. g. طَوَى complicuit; sequuntur haec in flexione verba لِ (vide Tab. رَمَى).

2. Verba, quorum secunda et tertia radicalis est و, v. g. قَوُوَ = قَوِيَ praevaluit; sequuntur haec flexionem verborum لو (vide Tab. لو [b]).

3. Verba, quorum secunda et tertia radicalis est ى; v. g. حَيِيَ vixit, et sequuntur verba لو (b).

Secunda classis: Verba infirma et hamzata simul.

Sunt verba, inter quorum radicales sunt litera infirma et Hamza simul, in horum flexione applicandae sunt regulae literarum infirmarum et Hamzae simul; sunt autem varii generis pro vario loco, quem obtinet Hamza in stirpe:

1. Verba hamzata, quorum prima radicalis est و vel ى. Subdistingui possunt in verba aut secundae aut tertiae hamzatae, v. g. وَأَرَ terruit, وَذَأَ culpavit.

2. Verba hamzata secundae radicalis و vel ى.

Rursus pro diverso hamzatae literae loco subdistinguuntur in verba primae vel tertiae hamzatae, v. g. آبء pro أَوَبَ rediit, جَآءَ pro جَيَأَ venit.

3. Verba hamzata tertiae radicalis و vel ى.

Similiter subdistinguuntur in verba primae vel secundae radicalis hamzatae, v. g أَتَى venit, نَأَى successit.

Not. a. Hamza e stirpium formationis lege semel tantum verbo inesse potest.

Not. b. Litera hamzata verbi رَأَى in Aor. II. et Imperativo eliditur, translatâ ejusdem literae vocali in praecedentem radicalem vacuam, hinc

PARADIGMA.

Aoristus II.

		Singul.	Dual.	Plural.
3. pers.	masc.	يَرَى	يَرَيَانِ	يَرَوْنَ
	fem.	تَرَى	تَرَيَانِ	يَرَيْنَ
2. pers.	masc.	تَرَى	com. تَرَيَانِ	تَرَوْنَ
	fem.	تَرَيْنَ		تَرَيْنَ
1. pers.		أَرَى		نَرَى

Imperativ.

2. pers.	Sing.	masc.	رَ = رَهْ (vel إِرْأَ)
		fem.	رَيْ (vel إِرْأَيْ)
	Dual. com.		رَيَا (vel إِرْأَيَا)
	Plur.	masc.	رَوْا (vel إِرْأَوْا)
		fem.	رَيْنَ (vel إِرْأَيْنَ)

Perfect. pass. verbi رَأَى est رُئِيَ vel رُئَ, in Aor. II. Elif rursus potest elidi, hinc يُرَى pro يُرْأَى. Form. II. = رَأَّى; form. III. = رَآى vel رَاءَيَا; form. IV. = أَرَى.

Tertia classis: Verba tripliciter imperfecta.

1. Unicum est verbum يَيَّ (scripsit literam Je), quod e tribus literis infirmis constat; priores non gignunt anomaliam, hinc sequitur verba وَلِيَ.

2. Verba cum duabis radicalibus infirmis et una hamzata duplicis sunt generis:

a) verba, quorum prima radicalis est Hamza sequentibus duabus infirmis, v. g. أَوَى se recepit, subjecta sunt regulis Hamzae et literarum infirmarum simul; sequuntur ergo flexionem verborum فَأَ et وَلِيَ;

b) verba, quorum secunda radicalis est Hamza praecedente et subsequente litera infirma, v. g. وَأَى, promisit flectuntur ut عَأَ et وَلِيَ.

§ 36. De verbis specialibus.

Sunt verba in lingua arabica, quae charactere gaudent speciali, quibus accensentur verba negandi, laudandi, vituperandi et admirandi.

1. Verbum negandi est لَيْسَ „non est“ (ortum ex لَا non et أَيْسَ existit), Aoristo II. caret et flectitur secundum normam verborum عَيِيَ, hinc

PARADIGMA.

	Sing. Masc.	Sing. Fem.	Dual. Masc.	Dual. Fem.	Plural. Masc.	Plural. Fem.
3. pers.	لَيْسَ	لَيْسَتْ	لَيْسَا	لَيْسَتَا	لَيْسُوا	لِسْنَ
2. pers.	لِسْتَ	لِسْتِ	لِسْتُمَا		لَسْتُمْ	لِسْتُنَّ
1. pers.	لِسْتُ				لِسْنَا	

2. Verba laudis et vituperii arabice dicta a ratione qua cetera verba flectuntur, recedunt; sunt نِعْمَ (vel نِعِمَ, نَعِمَ,

نَعْمَ) bene habet et بِئْسَ malus est. Non flectuntur, sed recipiunt tantum terminationem femininam et admittunt rarissime quidem Dualem et Pluralem; hinc نِعْمَتْ et بِئْسَتْ, نِعْمَا (Dual) et نِعْمُوا (plur.).

3. Verba admirationis omni flexione carent et sunt potius admirandi formulae eaeque duae: a) prima constat e 3. pers. masc. formae IV. praecedente particula مَا et subsequente accusativo, v. g. مَا أَفْضَلَ زَيْدًا quam pulcher est Zaidus! b) altera est 2. persona masc. Imperativi formae IV. sequente praepositione بِ, ut: أَفْضِلْ بِزَيْدٍ.

§ 37. De verbo cum suffixis.

Suffixum verbis annexum Accusativum, rarius Dativum indicat et inducit quasdam mutationes in termino verborum:

a) Elif otiosum (in 3. pers. plur. masc.) ante suffixum abjicitur, v. g. قَتَلُوا occiderunt, قَتَلُوهُ occiderunt eum.

b) Terminatio 2. pers. plur. masc. perfecti تُمْ ante suffixum adsciscit وُ cacophoniae evitandae causa, v. g. قَتَلْتُمْ in قَتَلْتُمُوهُ; etiam suffixa هُمْ et كُمْ ante aliud suffixum in vocalem eandem exeunt, v. g. يَسْأَلُكُمُوهَا interrogabit vos eam.

c) Terminatio 2. et 3. personae plur. masc. Aor. II. نَ nonnunquam ante suffixa نِي et نَا abjicitur, v. g. تَأْمُرُونِي pro تَأْمُرُونَنِي mihi mandabitis.

Not. a. ى verborum لِ in 3. pers. masc. sing. perfect. accedentibus suffixis aut manet aut in ا convertitur, v. g. رَمَاهُ et رَمَيهُ jecit eum.

Not. b. In carminibus saepe ه suffixum vocalem amittit, v. g. نُوتِهْ pro نُوتِهِ damus illi (Sur. 3.).

III. CAPUT.

De Nominibus.

§ 38. Praemonenda.

1. Nomina verbis longiora sunt et firmiora; nam verbum in universum transeuntem actionem vel qualitatem, nomen manentem notat, hinc multae nominum formae a verbi stirpibus sunt derivatae. Nomina sunt vel primitiva, quorum etyma exstant, animalia, plantas, metalla, numeros, membra etc., designantia vel derivata, quae rursus distinguuntur in deverbalia et denominativa, prout derivantur aut a verbo, aut a nomine.

Not. a. Primitiva sunt quoad formam aut trilitera, v. g. شَمْسٌ sol, رَجُلٌ vir, aut (paucissima quidem) bilitera, v. g. أَبٌ pater, دَمٌ sanguis etc.

Not. b. Nomina derivata a simplici forma oriuntur vel mutatione interna sc. vocalium, aut externa sc. addita una alterave literarum servilium. (Vide infra § 39 et 40.)

Not. c. Nomina substantiva simul et adjectiva complectuntur.

2. Nomina derivata A) verbalia in duas distinguuntur classes: a) in nomina verbi (Infinitivos verborum) ac b) in nomina agentis (Participia activa) et nomina patientis (Participia passiva), quibus alterae quatuor diversae classes accedunt: a) nomina vicis, b) nomina speciei, c) nomina loci et temporis (vel nomina vasis) et d) nomina instrumenti.

B) Nomina derivata denominativa in sex dividuntur classes:

a) nomina unitatis seu individualitatis, b) nomina abundantiae seu multitudinis, c) nomina vasis, d) nomina relationis, e) nomina abstracta et f) nomina deminutiva.

Not. a. Nomina verbi seu Actionis, quae indicant in abstracto actionem aliquam seu passionem vel notionem intransitivam, tot reperiuntur, quot sunt Infinitivi verborum triliterorum et quadriliterorum in omnibus formis. (Vide Tab. XI.)

Not. b. Nomina agentis et patientis, quae sunt verbalia adjectiva, correspondent participiis verborum in Activo et Passivo. (Tab. XI.)

§ 39. A. De Nominibus deverbalibus.

ad a. Nomina vicis.

Nomen vicis, quod per se unam solitariamque actionem exprimit, formatur e nomine verbi (Infinitivo formae primae) adjecto ةَ signo feminini, v. g. ضَرْبَةٌ una percussio, قَوْمَةٌ una statio.

Not. Cum triliteris in ةٌ terminantibus verbi nominibus ةٌ addi nequeat, unitas actionis indicatur addito وَاحِدَةٌ (una), v. g. إِقَامَةٌ وَاحِدَةٌ una erectio.

ad b. Nomina speciei seu modi.

Nomen speciei, quod determinat seu restringit notionem generalem, formatur e nomine verbi (Infinitivo فِعْلٌ) addito ة feminino, v. g. حَسَنُ ٱلطِّلْعَةِ pulcher aspectu.

Not. In formis auctis nomen hoc a nomine vicis non differt.

ad c. Nomina loci et temporis.

Nomen loci vel temporis, in quo aliquod accidit, derivatur ab Aoristo II. mutatâ praeformativâ in مَ et vel remanente Vocali secundae radicalis Kesra et Fatḥa, vel conversa in Fatḥa, si fuerit Ḍamma, v. g. مَكْتَبٌ locus vel tempus scriptionis a كَتَبَ scripsit. In formis auctis vel in verbo quadrilitero hoc nomen sequitur normam participii passivi, v. g. مُدْخَلٌ locus vel tempus introitus, مُخْتَفَطٌ carcer.

Not. a. Saepe nominibus talibus affigitur ةٌ, v. g. مَقْبَرَةٌ locus sepulturae, مَرْعَاةٌ locus pascuae.

Not. b. Nomina loci et temporis etiam vocantur nomina vasis, quia locus tempusque quasi vas est, in quo actio seu habitus continetur.

Not. c. Duodecim nomina sunt excepta, quae Ḍamma Aor. II. non in Fatḥa, sed in Kesra mutant:

مَنْحَرٌ locus jugulandi camelum

مَرْفِقٌ locus innitendi cubito

مَسْجِدٌ locus adorationis

مَسْقِطٌ locus casus

مَسْكِنٌ locus habitationis

مَشْرِقٌ Oriens

مَطْلِعٌ locus ascensus

مَغْرِبٌ Occidens

مَفْرِقٌ locus separationis capilli

مَنْبِتٌ locus proventus herbarum

مَنْخِرٌ locus spirationis (nares)

مَنْسِكٌ locus sacrificandi.

Not. d. Nomina derivata a Verbis فو et فى in secunda radicali semper notantur per Kesra, v. g. مَوْعِدٌ locus promissionis.

ad d. Nomina instrumenti.

Nomen instrumenti, quo quis utitur, sequitur formas مِفْعَلٌ مِفْعَالٌ et مِفْعَلَةٌ et differt a nomine loci tantum per Kesra in م, v. g. مِفْتَحٌ clavis (seu instrumentum, quo aliquid aperitur a فَتَحَ aperuit), مِرْقَاةٌ scala a رَقِىَ ascendit.

Not. Paucissima sunt formarum مُفْعُلٌ et مُفْعُلَةٌ, v. g. مُنْخُلٌ cribrum a نَخَلَ cribravit.

§ 40. B. De Nominibus denominativis.

ad a. Nomina unitatis.

Nomen unitatis designat individuum e toto genere desumtum vel partem collectivi e partibus homogeneis constituti, et formatur e collectivo adjecto ـَةٌ, v. g. حَمَامَةٌ una columba a حَمَامٌ columbarum genus, ex ذَهَبٌ aurum fit ذَهَبَةٌ pars auri.

ad b. Nomina abundantiae.

Nomen abundantiae seu multitudinis locum denotat, in quo copiosae sunt vel fiunt res semperque est formarum مَفْعَلَةٌ vel مَفْعَلٌ; proxime ergo accedit ad nomen loci, v. g. مَسْبَعَةٌ locus leonibus refertus a سَبُعٌ leo, مَقْثَأَةٌ cucumerarium a قِثَّاءٌ cucumis.

ad c. Nomina vasis.

Nomen vasis designat vas, in quo res asservatur et sequitur formam nominis instrumenti, v. g. مِئْبَرٌ vel مِئْبَرَةٌ acuum theca a إِبْرَةٌ acus, مِحْلَبٌ mulctra a حَلِيبٌ lac.

ad d. Nomina relationis.

Nomen relativum dicitur id, quod refertur ad alterum nomen, a quo adjecto in fine ـِيٌّ formatur; referri autem potest ad nomen originis, regionis, urbis, familiae, artis etc. v. g. أَرْضِيٌّ terrestris ab أَرْضٌ terra, مِصْرِيٌّ aegyptius a مِصْرُ Aegyptus, دِمَشْقِيٌّ damascenus a دِمَشْقُ Damascus.

Not. Nomina relativa maximam partem a substantivis et adjectivis, imo a reliquis nominibus et particulis derivantur.

Nomina, a quibus nomina relativa derivantur, nonnullis mutationibus sunt subjecta, quae aut 1) referuntur ad literas serviles, aut 2) ad radicales finales و et ى, aut 3) ad vocales.

1. Mutationes literarum servilium.

Abjiciuntur enim:

α) terminationes ـَةٌ et ـِيَّةٌ, v. g. مَكِّيٌّ Meccanus a مَكَّةُ Mecca.

β) terminatio ى in nominibus, quae praeter hanc literam e quatuor pluribusve Consonantibus constant; si nomen autem est triliterum, ى abjicitur, quando secunda Consonans est mota, v. g. حَمَزَى camelus velox in حَمَزِيٌّ; si autem secunda consonans est vacua, ى aut abjicitur, aut in و convertitur, v. g. ex حُبْلَى gravida fit حُبْلِيٌّ et حُبْلَوِيٌّ.

γ) terminatio ـِيٌّ nominis relativi, a quo novum relativum derivatur, v. g. إِفْرِيقِيٌّ ab إِفْرِيقِيَّةُ Africa.

δ) terminationes pluralis ـُونَ et ـَاتٌ et dualis ـَانِ nominum propriorum, v. g. e زَيْدُونَ fit زَيْدِيٌّ.

ε) ى productionis formarum فَعِيلَةٌ et فُعَيْلَةٌ, quae non sunt derivatae de verbis geminatis nec infirmis, v. g. سَفِينَةٌ navis in سَفَنِيٌّ.

ζ) و productionis formarum فَعُولٌ et فَعُولَةٌ derivatarum a verbis لو, mutata Damma secundae radicalis in Fatha, v. g. عَدَوِيٌّ inimicus ab عَدُوٌّ.

2. Mutationes radicalium finalium و et ى.

α) Elif (ex و natum) et ى servile qua tertia radicalis nominis triliteri accedente ـِيٌّ convertuntur in و, v. g. فَتًى juvenis in فَتَوِيٌّ, عَصًا baculus in عَصَوِيٌّ, ى autem nominis quadriliteri aut in و convertitur aut abjicitur, v. g. ex مَعْنًى sensus fit مَعْنَوِيٌّ et مَعْنِيٌّ.

β) Hamza terminationis, ـَاءٌ (femininae) convertitur in و, v. g. عَذْرَآءٌ virgo in عَذْرَاوِيٌّ.

γ) Tertia radicalis ى formae فَعْلٌ et saepius formae فَعْلَةٌ in aliis nominibus retinetur, v. g. ex ظَبْيٌ antilope fit ظَبْيِيٌّ, in aliis convertitur in و, mota secundâ radicali per Fatha, v. g. ex قَرْيَةٌ vicus fit قَرَوِيٌّ. Si autem secunda et tertia radicales in يّ sunt contractae, resolvendae sunt, quo facto ultima in و transit, v. g. حَيٌّ vivus transit in حَيَوِيٌّ.

δ) In mutilatis 3. rad. و et ى, quin facta sit compensatio, haec radicalis و et ى restituitur, alias non redit, v. g. أَبَوِيٌّ ab أَبٌ pro أَبَوٌ.

3. Mutationes vocalium.

α) Vocalis Kesra in 2. radic. formae فَعِلٌ transit in Fatha, v. g. ex مَلِكٌ rex fit مَلَكِيٌّ; Kesra autem formae فِعِلٌ in 2. rad. vel manet, v. g. إِبِلٌ camelus in إِبِلِيٌّ, vel mutatur, hinc et إِبَلِيٌّ.

β) Gezma formae فَعْلٌ terminantis in و aut manet, aut transit in Fatha, v. g. بَدْوٌ desertum abit in بَدَوِيٌّ.

Not. a. Denominativis sensu metaphorico sumtis loco ـِيٌّ additur ـَانِيٌّ, v. g. a جِسْمٌ corpus fit جِسْمَانِيٌّ.

Not. b. Nec a Plurali, nec a Duali nomina relativa possunt derivari, sed semper forma singularis numeri substituitur, v. g. شَرْعِيٌّ legum peritus non a شَرَايِعُ (plur.), sed a sing. شَرِيعَةٌ lex, exceptis

sectam, professionem vel artem designantibus, v. g. كُتُبِيٌّ librarius a plur. كُتُبٌ (sing. كِتَابٌ).

Not. c. Si de particulis biliteris nomina relativa derivantur, secunda radicalis, si infirma est, debet, secus potest duplicari, v. g. ex كَمْ quot fit كَمِّيٌّ et كَمِيٌّ, ex لَوْ fit لَوِّيٌّ; si secunda Consonans est Elif quiescens, inter hoc et ـِىٌّ inseritur Hamza, quod et in و converti potest, v. g. ex لَا „non" fit لَائِيٌّ et لَاوِيٌّ.

ad e. Nomina abstracta.

Femininum nominis relativi inservit neutrius nostri instar abstracto i. e. rebus singulis vivis opposito notando, v. g. اَلْإِلٰهِيَّةُ i. e. divinum seu divinitas, اَلْمَاهِيَّةُ quidditas vel substantia.

ad f. Nomina deminutiva.

α) Nomen deminutionis seu deminutivum vocis triliterae est formae فُعَيْلٌ, quadriliterae autem formae فُعَيْلِلٌ, v. g. رُجَيْلٌ homuncio a رَجُلٌ homo, عُقَيْرِبٌ parvus scorpio ab عَقْرَبٌ scorpio.

β) Terminationes femininae ـَةٌ, ـَى et ـَاءُ, terminatio relativi ـِىٌّ, et ـَانٌ Adjectivorum, quorum femininum est فَعْلَى, terminationesque Dualis et Pluralis ـَانِ, ـُونَ et ـَاتٌ in deminutione servantur, v. g. قُلَيْعَةٌ arx parva a قَلْعَةٌ arx, حُبَيْلَى a حُبْلَى praegnans, حُمَيْرَآءُ a حَمْرَآءُ rubra, سُكَيْرَانٌ a سَكْرَانٌ ebrii, مُسَيْلِمُونَ a مُسْلِمُونَ Moslemi, أُجَيْمَالٌ cameli ab أَجْمَالٌ.

Not. a. Terminatio ـَانٌ nominum triliterorum, quorum femininum non est فَعْلَى, abjicitur et deminutivum est formae فُعَيْلِيلٌ, v. g. سُلَيْطِينٌ a سُلْطَانٌ Sultanus.

Not. b. Feminina cum masculina terminatione ـَةٌ adsciscunt, v. g. شُمَيْسَةٌ a شَمْسٌ sol.

γ) Consonantes contractae, quae a verbis عع derivantur, in deminutivo resolvuntur, v. g. ظُلَيْلٌ a ظِلٌّ umbra.

δ) Radicales اوى in primitivo mutatae redeunt in deminutivo, v. g. بُوَيْبٌ a بَابٌ (بَوَبٌ) ostiolum; abjecta autem in primitivo radicalis in deminutivo restituitur, hinc litera compensationis iterum excidit, v. g. أُبَيٌّ (=أُبَيْوٌ) ab أَبٌ pro أَبَوٌ pater.

ε) Si in primitivo post secundam radicalem litera ا, و vel ى quiescens inseritur, deminutivum est formae فُعَيِّلٌ, v. g. غُلَيِّمٌ a غُلَامٌ puer, عُصَيَّةٌ ab عَصًا baculus.

His praemissis nominum formis A. eorum genus, B. motio, C. numerus, D. declinatio et E. determinatio exponenda sunt.

§ 41. A. De Genere nominum.

Genus nominum est triplex: masculinum, femininum et commune.

Not. Meier*) defendit, linguam originariam distinxisse genus duplex idque independeus (masculinum) et dependeus (neutrum), a quo ultimo femininum primitus originem duxit; nam femininum qua depenpens conceptui neutrius perbene convenit.

1. Femininum dignosci potest vel a) e natura sua, vel b) ex idea Orientalium certis rebus attributum femininum affingendi i. e. e sensu metaphorico et c) e terminatione.

ad a. Si vox id, quod e natura sua ad genus femininum refertur, exprimit, haud necesse est, ut terminatio feminina

*) Die Bildung und Bedeutung des Plural d. semit. Spr. Mannheim 1846. Seite 5.

ultra accedat; hinc hae voces ejusmodi constantissimae linguâ veterem formam retinente servantur, v. g. أُمٌّ mater, زَوْجٌ conjux.

ad b) Sensu metaphorico (juxta dependentiae ideam) feminina sunt: α) terra, quae mater visa est hominum, sicut urbs incolarum, v. g. أَرْضٌ terra, مِصْرُ Aegyptus; β) res dominio subjectae (propter dependentiam et debilitatem), ut corporis membra praeprimis gemina, instrumenta varia, domicilia, utensilia, v. g. عَيْنٌ oculus, يَدٌ manus, دِرْعٌ thorax, دَلْوٌ situla, بِئْرٌ puteus, دَارٌ domus, خَمْرٌ vinum; γ) nomina montium, fluviorum, marium, ventorum, v. g. رِيحٌ ventus, رُوحٌ spiritus, صَبًا eurus; δ) res abstractae, v. g. سُلْطَانٌ potentia, similiter nomina technica literarum et particularum, v. g. أَلِفٌ (Elif); ε) collectiva nomina animata quidem sed dependentia, v. g. إِبِلٌ camelus, غَنَمٌ grex ovium.

ad c) E terminatione sunt feminina: desinentia in α) ة vel ـَة, quae femininis est propria, v. g. جَنَّةٌ hortus, حَسَنَةٌ pulchra; β) ـَى et ـَا (e forma emollita ex ـَة), v. g. ذِكْرَى memoria, دُنْيَا mundus; γ) ـَآءُ (Elif servile), v. g. صَحْرَآءُ desertum.

Not. Nomina in ة terminantia, quae homines viros significant, sunt generis masculini, v. g. خَلِيفَةٌ Ḥalif.

2. Generis communis sunt:

a) Collectiva bestiarum et plantarum, quae formant nomina unitatis, v. g. جَرَادٌ locusta, نَخْلٌ palma; b) adjectiva formarum فَعِيلٌ et فَعُولٌ; c) ex usu sunt communia رَحِمٌ

venter, سَبِيلٌ semita, طَرِيقٌ via, سَلْمٌ pax etc., qua in re Lexica consulenda veniunt; et d) terminatio Dualis.

3. Masculina sunt reliqua nomina, v. g. لَحْمٌ caro, قَمَرٌ luna etc.

§ 42. B. De Motione nominum.

Motio seu nominis masculini in femininum conversio fit adjecta feminini terminatione ad masculinum, quae cum sit triplex, et motio triplex sit oportet:

1. Motio frequentissima fit adjecta ةٌ terminatione originaria feminini; hinc omnia participia, adjectiva pleraque tum verbalia tum denominativa hoc modo formantur, v. g. كَبِيرَةٌ magna, نَاصِرَةٌ adjutrix, مَالِكَةٌ regina.

2. Adjectiva verbalia formae أَفْعَلُ colorem vel vitium denotantia adsciscunt ـَآءُ, v. g. أَحْمَرُ ruber, حَمْرَآءُ rubra.

3. Adjectiva in Comparativo et Superlativo formae أَفْعَلُ, sicuti ea, quae terminantur in ـَانُ, assumunt motionis causa ـَى, v. g. أَحْسَنُ pulcherrimus حُسْنَى pulcherrima, سَكْرَانُ ebrius سَكْرَى ebria, أَوَّلُ primus أُولَى prima.

Not. Forma autem فُعْلَانٌ format femininum per ةٌ, v. g. عُرْيَانٌ nudus عُرْيَانَةٌ nuda.

§ 43. C. De Numero nominum.

Semitica et praeprimis arabica lingua graecae et sanscriticae instar triplici numero utitur: Singulari, Duali et Plurali.

Singulari numero jam noto ad formandos duo alios est transeundum.

1. De Duali.

Dualis numerus ad omnes omnino res transferri potest, ast in sermone vulgari ut in hebraico parcius adhibetur.

Terminatio Duali una tantum est ـَانِ pro casu recto et ـَيْنِ pro casu obliquo, quae generis communis nomini singulari ita adjungitur, ut et genus et terminatio ejus feminina integra serventur, v. g. يَدٌ manus يَدَانِ c. r. et يَدَيْنِ c. obl. أُمَّةٌ populus, et أُمَّتَانِ duo populi.

Not. a. Tertia radicalis و vel ى in aliam conversa vel abjecta redit, nisi و fuerit compensatum, v. g. عَصًا, du. عَصَوَانِ; أَبٌ (pro أَبَوٌ) dual. أَبَوَانِ; e contra إِبْنٌ filius, dual. إِبْنَانِ (nam و in nomine originario بَنَوٌ fuit per Elif prostheticum compensatum.).

Not. b. Tertia radicalis ا manet; litera autem haec in terminatione ءا, si ex و est enata, aut manet aut in و redit, v. g. قُرَّاءٌ, dual. قُرَّاءَانِ, ast رِدَآءٌ pallium (ex رِدَاوٌ) habet in duali. رِدَاءَانِ vel رِدَاوَانِ.

2. De Plurali.

Pluralis duplici modo a Singulari formatur, quorum primus vocatur perfectus, sanus (etiam externus), quia literae et vocales Singularis immutatae manent, secundus autem imperfectus seu fractus (internus), qui formam Singularis pluribus modis mutatam seu fractam exhibet.

Not. Respectu rationis Pluralem formandi primus modus etiam consonantalis, vocalis alter nominari potest.

a) De Plurali sano.

1. Terminationes pluralis sani pro genere masculino sunt ـُونَ in casu recto et ـِينَ in casu obliquo; pro feminino ـَاتٌ (natum ex ـَةٌ) in casu recto et ـَاتٍ in casu obliquo.

v. g. ex نَاصِرٌ fit نَاصِرُونَ et نَاصِرِينَ.

ex نَاصِرَةٌ fit نَاصِرَاتٌ et نَاصِرَاتٍ.

Not. a. Tertia radicalis و vel ى in plurali masculino excidit, v. g. غَازُونَ (pro غَازِوُونَ) a غَزَا.

Not. b. Tertia radicalis و vel ى in singulari mutata et quiescens, in plurali feminino una cum vocali redit, v. g. صَلَاةٌ (pro صَلَوَةٌ precatio) format صَلَوَاتٌ.

Not. c. Ultima radicalis Hamza tractatur ut in Duali (vide supra 1. N. b.), v. g. سَمَآءٌ (coelum pro سَمَاوٌ) format سَمَوَاتٌ, قِرَاءَةٌ lectio format قِرَاءَاتٌ.

2. Pluralem sanum formant, nimirum

A. Masculinum: a) participia omnia, b) adjectiva verbalia, quorum femininum adjecto ة formatur, c) adjectiva formae أَفْعَلُ significatum superlativi habentia, d) nomina propria eorumque deminutiva, e) adjectiva relativa et f) quaedam appellativa, v. g. إِبْنٌ (pro بَنَوٌ) filius, أَهْلٌ familia, ذُو possessor, أَرْضٌ terra, أَبٌ pater, أَخٌ frater etc.

Not. Etiam feminina quaedam, quorum tertia radicalis و, ى vel ه suppressa per ة finale compensatur, utuntur hoc plurali, v. g. سَنَةٌ (pro سَنَهَةٌ) annus in pl. سَنُونَ, كُرَةٌ (pro كُرَوَةٌ) globus pl. كُرُونَ.

B. Femininum: a) Participia et adjectiva feminina, quorum masculina pluralem sanum formant, b) nomina propria feminarum, c) nomina feminina cum terminatione ى vel ـَآءُ, d) nomina literarum, e) nomina mensium, v. g. رَمَضَانُ Ramadan in plur. رَمَضَانَاتٌ, f) nomina verbi feminina nec non a formis auctis derivata, g) nomina masculina ex aliis linguis recepta, v. g. قُنْصُوا Consul in pl. قُنْصُوَاتٌ, بَاشَا Pascha in pl. بَاشَوَاتٌ,

h) multa appellativa, quamvis in singulari sunt generis masculini, v. g. سُرَادِقَات tentoria a sing. سُرَادِق, i) adjectiva verbalia, quae in plurali vices substantivorum gerunt, v. g. مَخْلُوقَات creaturae et j) deminutiva rerum et entium, quae ratione carent, v. g. جُبَيْل monticulus in pl. جُبَيْلَات.

b) De Plurali fracto.

1. Praeter hunc pluralem per suffixa abstracta externe formatum invaluit apud Arabes concisior pluralium formatio vocalium solâ intra stirpem mutatione constans; quae per totam linguam mira vocalium ubertas et volubilitas conspicitur, ea in hac pluralium varietate ingente tam maxime elucet.

2. Frangitur forma Singularis vel mutatâ unâ alterâve vocalium, vel aliqua literarum transposita aut abjecta, vel nova litera inserta.

Not. Sonus principalis hujus formationis esse videtur u natus ex pronomine personali hu, qui inservit reflexivo, passivo et abstracto significando. Abstractis accensetur nomen verbi (Infinitivus) et qua tale pluralem*) designare potest; hinc infinitivi formae diversae plurali fracto significando inserviunt.

3. Formae Pluralis fracti de numero singulari nominum triliterorum utriusque generis usitatae et juxta seriem plerumque receptam positae omissis tamen brevitatis causa formis Singularis, ad quas referuntur, cum hac de re lexica consuli oporteat, sunt sequentes:

1. فُعَل v. g. كُبَر maximae a كُبْرَى maxima.
2. فُعْل „ حُمْر ab أَحْمَر rubra.

*) Similiter in lingua germanica: „Dienerschaft" est abstractum in singulari quidem ast cum notione collectiva seu plurali sc. „Die Diener"; conf. „das Gebirge", „die Gefangenschaft" etc. vid. Meier l. c. S. 16 ff.

3. فُعُلٌ v. g. كُتُبٌ a كِتَابٌ liber.
4. فِعَلٌ „ سِكَكٌ a سِكَّةٌ moneta.
5. فِعَالٌ „ رِجَالٌ a رَجُلٌ vir.
6. فُعُولٌ „ بُحُورٌ a بَحْرٌ mare.
7. فُعَّلٌ „ حُكَّمٌ a حَاكِمٌ judex.
8. فُعَّالٌ „ كُتَّابٌ a كَاتِبٌ scriba.
9. فَعَلَةٌ „ كَمَلَةٌ a كَامِلٌ perfectus.
10. فُعَلَةٌ „ قُضَاةٌ (pro قُضَيَةٌ) a قَاضِى judex.
11. فِعَلَةٌ „ زِوَجَةٌ a زَوْجٌ conjux.
12. فِعْلَةٌ „ ثِيرَةٌ a ثَوْرٌ taurus, إِخْوَةٌ ab أَخٌ frater.
13. أَفْعُلٌ „ أَوْجُهٌ a وَجْهٌ facies, أَرْجُلٌ a رِجْلٌ pes.
14. أَفْعَالٌ „ إِبْنَآءٌ ab إِبْنٌ (pro بَنَىٌ) filius, أَمْطَارٌ a مَطَرٌ imber.
15. أَفْعِلَةٌ „ أَعْمِدَةٌ ab عَمُودٌ columna.
16. فَوَاعِلُ „ فَوَارِسُ a فَارِسٌ eques.
17. فَعَائِلُ „ سَحَائِبُ a سَحَابَةٌ nubes.
18. فِعْلَانٌ „ غِلْمَانٌ a غُلَامٌ puer, حِيتَانٌ a حُوتٌ piscis.
19. فُعْلَانٌ „ بُلْدَانٌ a بَلَدٌ urbs.
20. فُعَلَآءُ „ أُمَرَآءُ ab أَمِيرٌ princeps, فُقَرَآءُ a فَقِيرٌ pauper.
21. أَفْعِلَآءُ „ أَحِبَّآءُ a حَبِيبٌ amicus.
22. فَعْلَى „ مَوْتَى a مَيِّتٌ mortuus, قَتْلَى a قَتِيلٌ occisus.
23. فَعَالٍ vel فَعَالِي, v. g. عَذَارٍ ab عَذْرَآءُ virgo, أَرَاضٍ ab أَرْضٌ terra.

24. فَعَالَى v. g. عَذَارَى virgines, سَكَارَى a سَكْرَانُ ebrius.

25. فَعِيلٌ „ عَبِيدٌ ab عَبْدٌ servus, حَمِيرٌ a حِمَارٌ asinus.

26. فُعُولَةٌ „ بُعُولَةٌ a بَعْلٌ conjux.

27. فِعَالَةٌ „ حِجَارَةٌ a حَجَرٌ lapis, صِحَابَةٌ a صَاحِبٌ socius.

28. فَعَلٌ „ بَكَرٌ a بَكْرَةٌ pascua, حَلَقٌ a حَلْقَةٌ annulus.

Not. a. Nomen idem singularis numeri plures diversasque pluralis fracti formas admittere potest, v. g. بَحْرٌ mare habet Plur. fc. بِحَارٌ, بُحُورٌ et أَبْحُرٌ; Singularia quaedam praeter pluralem fractum et sanum formant, v. g. شَاهِدٌ testis: pl. fc. شُهُودٌ, شَوَاهِدُ et pl. san. شَاهِدُونَ. Nec tamen omnes illae pluralis fracti formae usu quoque sunt receptae; imo interdum nomen una sola pluralis fracti forma gaudet, v. g. أَمْرٌ res habet tantum formam sextam أُمُورٌ.

Not. b. Pluralis sanus et formae pluralis fracti 12. 13. 14. et 15. pluralis paucitatis dicuntur, quia cum Numeralibus a tribus ad decem tantum usurpatur; fractus vero reliquarum formarum pluralis multitudinis, qui cum numeralibus a decem et ultra seu cum numero non restricto connectitur.

4. Quadrilitera vel Plurilitera nomina (ة finale non numerato), sive descendant a radice trilitera praefixo م vel ا, sive radicales sint omnes quatuor vel quinque literae, tres formas pluralis fracti admittunt:

1. (29.) فَعَالِلُ vel مَفَاعِلُ vel أَفَاعِلُ, v. g. أَصَابِعُ a إِصْبَعٌ digitus, ضَفَادِعُ a ضِفْدِعٌ rana, أَكَابِرُ primores ab أَكْبَرُ major.

2. (30.) فَعَالِيلُ v. g. سَلَاطِينُ a سُلْطَانٌ dominator, سَكَاكِينُ a سِكِّينٌ culter.

3. (31.) فَعَالِلَةٌ v. g. تَلَامِذَةٌ et تَلَامِيذُ a تِلْمِيذٌ discipulus, فَلَاسِفَةٌ a فَيْلَسُوفٌ philosophus.

Not. a. A formis pluralis fracti nunc commemoratis derivantur nova pluralia, quae pluralia pluralium nominantur, v. g. ex ظُفْرٌ unguis fit plur. أَظْفَارٌ, a quo plur. secundus أَظَافِيرُ; يَدٌ (pro يَدْىٌ) manus pl. أَيْدٍ et plur. plur. أَيَادٍ.

Not. b. A pluralibus fractis formantur et nova pluralia regularia feminina tanquam pluralia pluralium, v. g. بَيْتٌ domus, plur. بُيُوتٌ et plur. plur. بُيُوتَاتٌ domus plures collectae. Hujusmodi pluralia usurpantur tantum de numero non restricto aut inde a novenario.

Not. c. Plura nomina relativa, quae dynastiam aut sectam indicant, pluralem addito ة finali formant, v. g. شَافِعِيٌّ plu. شَافِعِيَّةٌ Schafeitae.

Not. d. Singularia quaedam pluralia sua aliunde mutuant, v. g. أُمٌّ mater habet أُمَّهَاتٌ (quasi ab أُمَّهَةٌ), مَآءٌ aqua pl. أَمْوَاهٌ et مِيَاهٌ (a مَاهٌ), إِنْسَانٌ homo pl. أُنَاسٌ vel contracte نَاسٌ.

§ 44. D. De Declinatione nominum.

Constat, priscam Semitarum linguam casuum nominis, quos indogermanicae ingenium fert, prorsus fuisse ignaram. Nomini pro diversa notione et vi diversus locus certis e legibus in enunciatione est tributus; nomen videlicet, quod in vocum junctura a nullo dependebat (i. e. Nominativus seu casus rectus), semper ab initio fuit collocatum, nomen vero huic oppositum (in casu obliquo) semper postpositum fuit voci, a qua logice pendebat, quod rursus duplici modo fieri poterat: a) aut nomen ab alio pendens (in genitivo) intime nomini priori ita subditum erat, ut prius ad posterius tanquam complementum statim et necessario sine media quadam voce secuturum properans brevius pronunciaretur, unde prius nomen ante genitivum, quem nos dicimus, in statu constructo

poni dicitur; aut b) nomen verbo vel toti enunciationi erat subditum (in Accusativo), quod e lege ante verbum vel enunciationem poni non poterat. Ceterae nominis relationes (v. g. Dativus, Ablativus) praepositionibus erant indicandae. Haec prisca linguae semiticae et nativa facies integra fuit servata in lingna arabica; nihilominus lingua cultissima magna vocalium varietate in fine nominum usa est ad diversas rationes et notiones distinguendas, quo modo casus orti sunt, quorum in multis nominum formis duo tantummodo sunt distincti iique Nominativus seu casus **rectus** et **casus obliquus**, hic vero in formis frequentioribus et varietate aptioribus distinctius rursus in Accusativum et Genitivum se dirimit; ultra tres autem casus tales distinguendos lingua secundum suam indolem progredi haud poterat. Ratione casuum nomina sunt aut **Triptota**, aut **Diptota**, prout declinatio per tres vel duas casuum terminationes fit.

A. Triptota.

Triptota sunt complura Singularia masculini et feminini generis et pluralia fracta ac terminant absolute posita Nominativum in ـٌ = on, Genitivum in ـٍ = en, et Accusativum in اـً seu ـً an, v. g.

masc. رَجُلٌ, gen. رَجُلٍ, acc. رَجُلًا vir

fem. رَحْمَةٌ, gen. رَحْمَةٍ, acc. رَحْمَةً misericordia.

Not. a. Vocalis u generatim est signum Nominativi, vocalis â casus obliqui sonus, qui in perfecta declinatione Accusativo mansit, in Genitivo autem pro i comparuit.

Not. b. Accusativi terminatio in scriptura jam antiquissima litera ا in fine scripta est distincta ea ex causa, quia Accusativus a positione sua difficilius sine scripturae ope dignoscendus saepeque usu adverbiali erat adhibitus; in terminatione singulari ة numquam Elif est scriptum, ne litera ة in media voce scribenda esset figura ـتـ.

B. Diptota.

Nomina diptota duas tantum casuum terminationes habent et sunt:

1. Dualia omnia masculina et feminina, quorum casus rectus desinit in ـَانِ, et obliquus in ـَيْنِ, v. g.

masc. رَجُلَانِ c. rect., رَجُلَيْنِ casus oblq. duo viri,

fem. مَدِينَتَانِ „ مَدِينَتَيْنِ duae urbes.

2. Pluralia sana masculina cum terminatione ـُونَ pro casu recto et, ـِينَ pro casu obliquo et feminina, quae terminant casum rectum per ـَاتٌ et casum obliquum per ـَاتٍ, v. g. ـَا.

masc. قَاتِلُونَ et قَاتِلِينَ occidentes,

fem. قَاتِلَاتٌ et قَاتِلَاتٍ.

3. Singularia multa, ab Arabibus invariabilia nominata, quae formant casum rectum per ـُ et obliquum per ـَ neglecta nunnatione, v. g. أَسْوَدُ c. rect., أَسْوَدَ c. oblig. niger. Huc spectant:

a) Adjectiva et quidem

α) Positiva et comparativa formae أَفْعَلُ, v. g. أَحْمَرُ ruber, أَكْبَرُ maximus, nisi femininum adjecto ة formant, v. g. أَرْمَلُ viduus et أَرْمَلَةٌ vidua, quae triptota sunt.

β) Adjectiva formae فَعْلَانُ cum feminino formae فَعْلَى, v. g. كَسْلَانُ ignavus, كَسْلَى ignava.

γ) Substantiva et Adjectiva terminata ى brevi aut ى quiescente instar Elif nec non terminata Hamzâ praecedente ا cum Madda, v. g. ذِكْرَى memoria, أُولَى prima, عَذْرَآءُ virgo.

Not. Pluralia fracta formarum فَعْلَى, فَعَالَى, et فَعَلَآءُ, أَفْعِلَآءُ huc pertinent.

b) Pluralia quatuor syllabarum cum ا servili quiescente in medio, seu formarum: مَفَاعِل, أَفَاعِل, فَعَايِل, فَوَاعِل, et فَعَالِيل, v. g. أَقَارِبُ propinqui.

c) Nomina propria et quidem:

α) exotica masculina pluribus quam tribus literis constantia, v. g. إِبْرَاهِيمُ Abraham, يُوسُفُ Josephus.

Not. Ast نُوحٌ Noah et لُوطٌ Loth triptota vel diptota sunt.

β) arabica constructa vel ad aliquam verbi formam, ut ضُرِبُ Doreb (ad فُعِلَ), vel derivata cum levi mutatione a participio, v. g. عُمَرُ Omar (ab عَامِرٌ), vel terminantia in ة utriusque generis, v. g. مَكَّةُ Mecca, vel desinentia in ـَانُ, v. g. عِمْرَانُ Imran.

γ) omnia feminina tum peregrina, tum arabica, v. g. مَرْيَمُ Maria, زَيْنَبُ Zainaba.

Not. In nominibus compositis vel prius adverbialiter ponitur in casu obliquo per ـَ et posterius diptoton est, v. g. بَعْلَ بَكُّ (Baalbec), aut utrumque ut triptoton tractatur, v. g. بَعْلُ بَكٍّ in nominativo, بَعْلِ بَكٍّ in genitivo, et بَعْلَ بَكًّا in accusativo.

d) Numeralia distributiva e duabus vocibus contracta, v. g. أُحَادُ et مُوَحَّدُ singillatim ex وَاحِدٌ وَاحِدٌ, et pauca adjectiva a nominibus appellativis derivata, v. g. أُخَرُ aliae ab أُخْرَى et denique;

e) Deminutiva, quorum primitiva jam sunt diptota, v. g. أُسَيِّدُ ab أَسْوَدُ niger, exceptis deminutivis Numeralium distributivorum.

Not. a. Poetae saepe debiliorem declinationem (Diptota) in fortiorem et perfectiorem (Triptota) mutant; perfectiorem autem in debilem mutare non licet.

Not. b. Triptota in ـَى (ex ـَوٌ vel ـَىٌ ortum) et Diptota in ـَى et ـَا terminantia in casibus obliquis terminationem Nominativi retinent, sunt ergo quasi monoptota, applicatis scilicet literarum infirmarum regulis (vide § 10—13), v. g. عَصًا baculus pro عَصَوٌ, عَصَوٍ et عَصَوًا, بُشْرَى laetus nuntius pro بُشْرَىُ et بُشْرَىَ. Nomina autem in ى praecedente Kesra exeuntia Nominativum aeque ac Genitivum terminant, Accusativum autem per ـًا, v. g. قَاضٍ judex pro قَاضِيٌ et قَاضِيٍ, ast Accus. قَاضًا.

Not. c. A Grammaticis Arabum nominativus appellatur رَفْعٌ i. e. elatio seu forma independens — casus rectus; translatus ad verbum designat Indicativum Aoristi II (modum raf'atum). Accusativus audit نَصْبٌ i. e. positio seu objectum quid, casus objectivus seu obliquus, translatus ad verbum designat modum Conjunctivum, dependentem, (nasbatum), qui nunquam stat solus. (Conf. § 24, 2.) Genitivus ex eo procedens خَفْضٌ vocatur, i. e. depressio, subjectio scilicet sub substantivo praecedente, aut جَرٌّ contractio eodem in sensu.

Not. d. Genitivus inservit etiam exprimendo Dativo et Ablativo praemissis praepositionibus لِ et مِنْ ex, ab.

Not. e. Vocativus duplici modo potest exprimi: α) Nominativo absque articulo et nunnatione, alloquendo praesentem personam vel rem, quae est certa, definita et simplex (i. e. indeterminata) praeposita particula يَا, v. g. يَا رِجَالُ o viri! aut β) Accusativo cum nunnatione, si res incerta simul est et indeterminata, v. g. يَا رَجُلًا o vir! Causa hujus est, quod Accusativo tranquillior et sedatior inest vis appellandi, quam Nominativo recta via vocanti, quo ultimo non utuntur Arabes, nisi in sermone breviori; accedente ergo determinatione Accusativus adhibetur, v. g. يَا أَبَانَا o pater noster!

§ 45. E. De Determinatione nominum.

Nomina triplici modo determinari possunt: 1) sequente Genitivo seu per **statum constructum** vel regiminis, ut ajunt; 2) praefixo **articulo** et 3) adjecto **suffixo**. Hacc determinandi ratio efficit, ut nomen nunnationem perdat et vocalem simplicem accipiat eo tamen cum discrimine, ut in statu constructo et in determinatione per suffixa etiam ن finale pluralis et dualis masculini auferatur, in determinatione autem per articulum remaneat; nam ن plurale et duale ad ipsam terminationem ex origine pertinet nec nunnationis sonori tantum et plenioris exitus causa (sicut in Singulari) adjectum est.

1. Aufertur nunnatio in nomine immediate sequente Genitivo, quia nomen per aliud nomen (in genitivo) determinatum ob celerem ad complementum necessarium transitum rapidius pronuncictur oportet, quae rapidior pronunciatio in ceteris quidem linguis semiticis magnas movet difficultates et mutationes, in Arabismo autem ob vocalium constantiam et ubertatem uni legi constantissime obtemperat; hinc:

Sing. عَبْدُ ٱللّٰهِ Nom.
" عَبْدِ Genit. } servus Dei.
" عَبْدَ Accus.

Dual عَبْدَا ٱللّٰهِ cas. rect. Plural. masc. عَبْدُوا ٱللّٰهِ
عَبْدَيِ ٱللّٰهِ vel عَبْدَىّ cas. obliq. عَبْدِى ٱللّٰهِ.

Not. a. Femininorum pluralis terminationes praeter nunnationem perditam manent intactae; hinc ـَاتٌ et ـَاتٍ transeunt in ـَاتُ et ـَاتِ.

Not. b. ى Dualis in casu obliquo vel geminatur et notatur per Fatha ob Wasla signum, vel manet simplex et movetur per Kesra.

Not. c. Elif otiosum in plur. masc. sano aut retinetur aut abjicitur, v. g. عَبْدُوا ٱللّٰهِ vel عَبْدُو ٱللّٰهِ.

2. Aufertur nunnatio modo indicato per **articulum**, quia hic nomini tam arcte inhaeret, ut toni partem in se trahat et ob augmentum initio vocis accedens finis vocis vicissim brevius et levius sonet, hinc:

Masculinum.

Sing. ٱلرَّجُلُ, ٱلرَّجُلِ, ٱلرَّجُلَ.

Dual. ٱلرَّجُلَانِ et ٱلرَّجُلَيْنِ.

Plur. fract. ٱلرِّجَالُ c. rect. et ٱلرِّجَالَ cas. oblq.

Plur. san. ٱلنَّاصِرُونَ et ٱلنَّاصِرِينَ.

Femininum.

ٱلْمَدِينَةُ, Dual ٱلْمَدِينَتَانِ etc.

3. Aufertur nominis nunnatio additis **suffixis**, quia haec adeo illi se applicuerunt, ut cum eo accentu, pronunciatione et scriptione perpetuo coaluerint, qui connexus perpetuus dein vim quamdam exercuit sonorumque coëuntium mutationem effecit.

Suffixa ad nomen accedentia eandem legem, quam in connexione cum verbis, sequuntur, hinc:
عَبْدُكَ servus tuus, عَبْدَهُ servum ejus, عَبْدِهِ servi ejus;
عَبْدَانَا servi duo nostri, عَبْدُوهَا servi ejus;
إِبْنَتُكُمْ soror vestra etc.

Not. a. Feminina terminatio ة accedente suffixo in media voce abit in ت.

Not. b. Suffixum primae personae singularis ى cum Kesra ad nomina accedit sine ن, v. g. عَبْدِي servus meus; ast in duali semper notatur per Fatha, v. g. عَبْدَيَّ quod et fit in plurali tum in casu obliquo, tum in casu recto, و scilicet converso in ى; hinc عَبْدِيَّ plur. c. rectus et obliquus pro عَبْدُوىَ cas. recto et عَبْدِيِيَ casu obliq.

Not. c. Nomina in ءاً terminantia mutant ا aut in و in nominativo ob Damma, aut in ى in genitivo ob Kesra, v. g. ex صَبَاءٌ pueritia fit صَبَاوُكَ nom., صَبَايِكَ genit., صَبَاءكَ accus.

Not. d. In sequentibus nominibus decurtatis أَبٌ pater, أَخٌ frater, حَمٌ socer, هَنٌ res, ذُو possessor et فُو os, litera abjecta infirma vocalibus casuum homogenea redit, si determinantur per genitivum aut suffixa, e. g.

أَبُو زَيْدٍ pater Zaidi et أَخُوكَ frater tuus;

„ أَبِي patris „ حَمِيكُمْ soceri vestri.

„ أَبَا patrem. „

Not. e. Cum suffixa in nominibus semper genitivum seu possessionem exprimunt, cum possessore et in genere conveniunt, v. g. كِتَابُكَ liber tuus seu liber tui (viri), كِتَابُكِ liber tuae (feminae).

§ 46. De Numeralibus.

Numeralia in lingua arabica nominibus accensentur; distinguuntur in A. Cardinalia et in numeralia B. Derivata.

A. Cardinalia.

Cardinalia decem priora utriusque sunt generis.

1. a) Pro numero primo duae sunt formae:

α) أَحَدٌ unus et إِحْدَى una, est forma simplex et usurpatur in numeris componendis;

β) وَاحِدٌ masc. et وَاحِدَةٌ femin. notionem paulo gravius effert (i. e. unicus).

b) Numerus secundus إِثْنَانِ masc. et إِثْنَتَانِ fem. dualis flexionem integram sequitur.

2. Ceteri numeri ad denarium usque ex origine substantiva sunt cum terminatione feminina, qua induti ponuntur,

si sunt sine uexu; hinc substantivis primitus nominum instar in statu constructo praeponendi erant, sed cum hoc modo adjectivorum sensum et vim induerent, nominibus jungebantur mutato genere, ita ut numeri masculini construantur cum nominibus femininis et numeri feminini cum nominibus masculinis; sunt:

	Masc.	Fem.
3.	ثَلَاثَةٌ	ثَلَاثٌ
4.	أَرْبَعَةٌ	أَرْبَعٌ
5.	خَمْسَةٌ	خَمْسٌ
6.	سِتَّةٌ	سِتٌّ
7.	سَبْعَةٌ	سَبْعٌ
8.	ثَمَانِيَةٌ	ثَمَانٍ
9.	تِسْعَةٌ	تِسْعٌ
10.	عَشَرَةٌ	عَشْرٌ

Not. Pro ثَلَاثَةٌ et ثَلَاثٌ saepe scribitur ثَلٰثَةٌ et ثَلٰثٌ; سِتٌّ enatum est ex سِدْسٌ, uti patet ex سُدْسٌ (pars sexta), et ثَمَانٍ ex ثَمَانِيٌ.

3. Denaria oriuntur e monadibus addita terminatione Pluralis sani ـُونَ pro casu recto et ـِينَ pro casu obliquo, quo facto sunt generis communis nec nexu interiori cum substantivo junguntur; hinc

20.	عِشْرُونَ	60.	سِتُّونَ
21.	ثَلَاثُونَ	70.	سَبْعُونَ
40.	أَرْبَعُونَ	80.	ثَمَانُونَ
50.	خَمْسُونَ	90.	تِسْعُونَ

4. 100 = مِائَةٌ vel مِئَةٌ; dual. مِائَتَانِ = 200; plur. مِئُونَ, مِئَاتٌ et مِئًى.

Mille est أَلْفٌ, dual. أَلْفَانِ = 2000 et plur. أُلُوفٌ et آلَافٌ millia.

Not. مِائَةٌ et أَلْفٌ pleno nominum jure utuntur.

5. Ad centenaria et milliaria formanda monades in statu constructo praecedunt sequente genitivo numeralis مِائَةٌ in singulari et آلَافٌ in plurali hoc modo:

a) Centenaria

300. ثَلَاثُ مِائَةٍ	700. سَبْعُ مِائَةٍ
400. أَرْبَعُ مِائَةٍ	800. ثَمَانِ مِائَةٍ
500. خَمْسُ مِائَةٍ	900. تِسْعُ مِائَةٍ
600. سِتُّ مِائَةٍ	

b) Milliaria

3000 = ثَلَاثَةُ آلَافٍ, 4000 = أَرْبَعَةُ آلَافٍ et similiter usque ad 10,000.

Not. Numeralia composita centenaria etiam indeclinabilia sunt in Fatha; hinc ea saepe cum monadibus contrahuntur:

300 ثَلَثَمِائَةَ ast 20,000 عَشْرُونَ أَلْفًا

400 أَرْبَعَمِائَةَ 30,000 ثَلَاثُونَ أَلْفًا et sic usque ad 99,000.

500 خَمْسَمِائَةَ etc.

6. In copulandis numeralibus ad unam summam duo sunt ordines: a) numeralia minora praeponuntur denariis, ita ut fere in unum coalescant, et و non interposito in statu constructo efferuntur; si ergo denaria sunt generis feminini, monades masculinae junguntur et vice versa, qua ratione numerus compositus adverbii loco positus flexionis est expers; hinc

	Masc.	Femin.
11.	أَحَدَ عَشَرَ	إِحْدَى عَشْرَةَ
12.	„ اِثْنَا	„ اِثْنَتَا
13.	„ ثَلَاثَةَ	„ ثَلَاثَ
14.	„ أَرْبَعَةَ	„ أَرْبَعَ
15.	„ خَمْسَةَ	„ خَمْسَ
16.	„ سِتَّةَ	„ سِتَّ
17.	„ سَبْعَةَ	„ سَبْعَ
18.	„ ثَمَانِيَةَ	„ ثَمَانِيَ
19.	„ تِسْعَةَ	„ تِسْعَ

b) numeralia simplicia numero vigesimo ad nonagesimum usque semper interjecto و praeponuntur cum flexione perfecta, v. g. سِتَّةٌ وَثَلَاثُونَ 36; ultra autem ordo aut a minimo deinceps ad maximum ascendit aut a maximo ad minimum descendit, semper tamen monades denariis per و praeponuntur, v. g. أَلْفٌ وَثَمَانِمَايَةٍ وَثَمَانِيَةٌ وَسِتُّونَ 1868 vel ثَمَانِيَةٌ وَسِتُّونَ وَثَمَانِ مِائَةٍ وَأَلْفٌ.

B. Numeralia Derivata.

1. Numeralia adjectiva seu Ordinalia excepto primo a cardinalibus formantur ad formam فَاعِلٌ ad decimum usque; a vigesimo autem et ultra cardinalia inserviunt ordinalibus exprimendis. Ab undecimo usque ad decimum nonum ordinalia sunt indeclinabilia et sine copula و conjuncta, a vigesimo primo autem et ultra per و copulata declinantur; hinc:

	Masc.	Femin.
1.	أَوَّلُ	أُولَى
2.	ثَانٍ	ثَانِيَةٌ

	Masc.	Fem.
3.	ثَالِثٌ	ثَالِثَةٌ
4.	رَابِعٌ	رَابِعَةٌ
5.	خَامِسٌ	خَامِسَةٌ
6.	سَادِسٌ	سَادِسَةٌ
7.	سَابِعٌ	سَابِعَةٌ
8.	ثَامِنٌ	ثَامِنَةٌ
9.	تَاسِعٌ	تَاسِعَةٌ
10.	عَاشِرٌ	عَاشِرَةٌ
11.	حَادِىَ عَشَرَ	حَادِيَةَ عَشْرَةَ
12.	„ ثَانِىَ	„ ثَانِيَةَ
13.	„ ثَالِثَ	„ ثَالِثَةَ etc.
21.	حَادٍ وَعِشْرُونَ (حَادِىٌ)	حَادِيَةٌ وَعِشْرُونَ
22.	ثَانٍ وَعِشْرُونَ	ثَانِيَةٌ وَعِشْرُونَ etc.

Not. a. Si ordinalia ab 11.—19. per articulum determinantur, monas articulo munita declinatur intacto relicto denario, v. g. أَلثَّالِثُ عَشَرَ decimus tertius; ultra 21. autem articulus utrique numerali praefigitur, v. g. أَلرَّابِعُ وَٱلْعِشْرُونَ vigesimus quartus.

Not. b. Ordinalia Adjectivorum instar Substantivo postponuntur, quocum conveniunt in genere, numero et casu.

2. Numeri fracti seu partes exprimentes infra decem formantur e numeralibus juxta formas فُعْلٌ, فُعُلٌ et فَعِيلٌ ac triptota sunt, plurali autem gaudent fracto formae أَفْعَالٌ, v. g. ثُلُثٌ et ثَلِيثٌ pars tertia, سُدُسٌ pars sexta; ultra decem numeri fracti circumscribuntur.

3. Numeralia distributiva vi antiquae linguae numero eodem bis posito designantur, v. g. وَاحِدٌ وَاحِدٌ singuli, vel peculiaribus formis فُعَالُ, مَفْعَلُ et مُفَعَّلُ solis aut iteratis; hinc أُحَادُ, وُحَادُ, مَوْحَدُ singuli, رُبَاعُ رُبَاعُ quaterni.

4. Numeralia relativa seu multiplicativa (Latinorum in „plex“) formantur e distributivis usque ad decem addita terminatione يٌّ, suntque formae فُعَالِيٌّ = v. g. رُبَاعِيٌّ quadruplex.

5. Numeralia temporis, quo elapso aliquid continuo redit, sunt formae فِعْلٌ et in accusativo vel cum vel sine articulo ponuntur, v. g. ثِلْثًا vel اَلثِّلْثَ per quodvis triduum seu triennium; hinc appositum anni, mensis vel diei e contextu facile cognoscendum omitti solet.

6. Numeralibus, quae quantitatem seu vicem designant, exprimendis inserviunt feminina numerorum aut sola aut cum nominibus مَرَّةٌ, تَارَةٌ etc. in accusativo posita, v. g. مَرَّةً أُخْرَى una vice, اِثْنَتَيْنِ duabis vicibus seu bis.

IV. CAPUT.

De Particulis.

§ 47. Divisio.

Sunt et voces, quibus flexio aut nulla est aut minus dives perfectaque, particularum nomine distinctae. Multae sunt primitivae eaeque brevissimae eo tempore ortae, quo flexio omnis parum erat exculta, aliae e nominibus maxime ortum ducunt.

Possunt autem distingui particularum classes duae:

1. Particulae orationis contextae, ad quas referuntur praepositiones, adverbia et conjunctiones, et

2. Interjectiones locutionesque ex earum indole manantes. Omnes particulae sunt aut conjunctae aut separatae.

Not. Particula sonum una tantum litera exprimens voci sequenti e scripturae lege constanti est praefigenda.

1. De particulis orationis contextae.

§ 48. A. De Praepositionibus.

Praepositiones nominum et notioni et formae simillimae et a particulis et adverbiis ceteris eo sunt distinctae, quod usu semper ad nomen tantum proxime sequens referri eique jungi possint.

a) Praepositiones conjunctae sunt quatuor detritae: α) بِ in, β) لِ ad, de, γ) كَ comparationi inservit = ὡς (sicut) Graecorum, et quidem non majoris et minoris, sed similitudinis, qua res ad aliam se referat, ac genitivum regit et δ) وَ et تَ, quae adhibentur in juramentis (vide Syntaxim).

b) Praepositiones separatae, quae genitivum regunt, sunt et quidem α) originariae:

مِنْ ex, prae, de et عَنْ a, pro, quae arctius cum sequenti vocula مَنْ et مَا junguntur, ut: مِمَّنْ, مِمَّا, عَمَّنْ etc.

إِلَى et عَلَى ad, super, accedentibus suffixis ى diphthongescit v. g. إِلَيْكَ.

فِى in, حَتَّى usque, لَدْ aut, لَدُنْ (لَدَى, لَدَا) penes, مُنْذُ et مُذْ (orta ex ذُو et مِنْ), e quo, sc. tempore.

Not. مِنْ, عَنْ, إِلَى, عَلَى et فِى cum suffixis et pronominibus possunt conjungi; accedente suffixo 1. pers. sing. fit مِنِّى, عَنِّى (duplicata litera ن) et إِلَىَّ, عَلَىَّ et فِىَّ.

β) **Derivatae**, nam etiam nomina in accusativo (ast sine nunnatione, quia determinata per sequentem genitivum) adverbialiter posita praepositionum instar usum praestant; sunt:

بَيْنَ inter, بَعْدَ post, فَوْقَ supra, تَحْتَ infra, قَبْلَ ante, أَمَامَ coram, قُدَّامَ ante, خَلْفَ post, حَوْلَ circa, دُونَ praeter, مَعَ cum, عِنْدَ apud, عَبْرَ trans, بَدَلَ pro, نَحْوَ juxta et similia.

§ 49. B. De Adverbiis.

Adverbiorum triplex distinguitur classis: ad primam referuntur particulae diversae originis, quae sunt aut conjunctae aut separatae, ad secundam pertinent nomina indeclinabilia in u exeuntia, ad tertiam nomina in Accusativo posita.

ad 1. spectant a) Particulae **adverbiales conjunctae**, quae sunt:

أَ num? utrum (nota interrogationis).

لَ adverbium affirmationis, et

سَ orta ex سَوْفَ = μέλλει futurum est, praefigitur Aoristo II. ad restringendum futurum certissimum.

b) Particulae adverbiales **separatae**:

أَمْ an? أَمْ — أَ = utrum? — an?

هَلْ num? أَلَا ex لَا et أَ nonne?

أَمَا ex مَا et أَ nonne? أَيْنَ ubi? مِنْ أَيْنَ unde,

أَيْنَمَا ubicunque, نَعَمْ, نَعِمْ utique, بَلْ et بَلَى immo,

لَا non, لَمْ (adverbium perfecti) et مَا non,

لَنْ (ex لَا et أَنْ) non, لَمَّا nondum, قَدْ jam,

قَطُّ unquam, إِنَّ certe (construitur cum Accusativo nominis, sequente لَ in praedicato),

إِنَّمَا (ex إِنَّ et مَا) dumtaxat, هُنَا hic.

ad 2. Pertinent huc nomina indeclinabilia in u eadem, quae in accusativo sequente nominis genitivo praepositionum viçes gerunt (vid. § 47, b. β.), v. g. بَعْدُ postea, تَحْتُ infra, فَوْقُ supra, قَبْلُ antea, حَيْثُ ubi, etc.

ad 3. Nomina in accusativo posita plerumque adverbialiter usurpantur, v. g. كَثِيرًا multum, جِدًّا valde. مَعًا simul, غَدًا cras, أَلْيَوْمَ hodie, كَيْفَ et كَمَا sicut, لَيْلًا noctu.

Not. لَيْتَ utinam, عَلَّ et لَعَلَّ forsitan cum suffixis conjungi possunt, v. g. لَيْتَهُ, لَعَلِّى etc.

§ 50. C. De Conjunctionibus.

Conjunctiones aut sunt conjunctae aut separatae.

1. Conjunctae seu inseparabiles Conjunctiones sunt duae:

a) وَ et b) فَ hoc tamen discrime, ut particula فَ simul consecutionem temporis et sensus notet, hebraico Vau relativo (seu conversivo) simillima; correspondet ergo Latinorum: et tum, et sic, sic, hinc فَ semper ab initio apodosis أَمَّا particulam incipiendi in prosthesi positam sequitur.

2. Conjunctiones separatae sunt:

a) copulativae: ثُمَّ et حَتَّى postea;

b) disjunctivae: إِمَّا, أَمَّا, لَمْ, أَوْ aut, vel;

c) adversativae: بَلْ sed, لَكِنْ et لَكِنَّ verum;

d) conditionales: لَوْ, إِنْ vel لَئِنْ si, إِمَّا quodsi;

e) causales: لِأَنَّ, أَنَّهُ, أَنَّ quia, quoniam (construitur cum accusativo nominis), أَنْ, كَى, لِكَى ut, أَلَّا, لِئَلَّا, كَيْلَا ne, ut non;

f) concessivae: وَإِنْ etsi, وَلَوْ quamvis;

g) inceptivae: إِنَّمَا, فَإِنَّ, إِنَّ, وَأَمَّا, أَمَّا et quidem, sane.

§ 51. D. De Interjectionibus.

Interjectiones usitatissimae sunt: أَ, آ o, ah! أَخْ, أَهْ, أَهِ, آهْ heu! يَا ante vocativum; إِذْ, إِذَا, هَا ecce! تَا, هَلَا, هَلَّا agedum! وَا eheu! وَى et وَيْلٌ vae! أُفْ, أُفِّ, أُفَّ vel أُفٌّ pfui! هَلُمَّ hu ades! cedo.

Not. a. Nomen post وَا positum pro nunnatione Nominativi ٌ non raro desinit in ـَا vel ـَاهْ, v. g. وَا زَيْدَا vel زَيْدَاهْ.

Not. b. Interjectioni وَىْ etiam suffixa necti possunt, v. g. وَيْكَ vaè tibi!

PARS TERTIA.

Syntaxis.

§ 52. Praemonenda.

Lingua arabica ad multo majorem, quam ceterae sorores, evecta est concinnitatem gratam et sensus perspicuitatem facilem, quamvis simplicitatis antiquae fundamentum et in cultiori lingua intactum mansit. Materia bene disposita prius de singulis enunciationis partibus et dein de enunciationum connexu tractandum venit; in priori sectione iterum convenienter parti antecedenti syntaxis: I. Pronominum, II. Verborum, III. Nominum et IV. Particularum est exponenda.

SECTIO PRIMA.

De enunciationum partibus singulis.

I. CAPUT.

De Syntaxi Pronominum.

§ 53. A. De Pronominibus personalibus.

1. Quando pronomen personale est enunciationis subjectum, copulâ seu verbo abstracto ad juncturam subjecti cum praedicato ex antiquae linguae simplicitate haud opus est, nec vero unquam objectorum series, quae e notione pendet,

negligi debet, v. g. هَذَا بَيْتُ ٱللّٰهِ = haec est domus Dei; saepe tamen pronomen 3. personae sing. masc. verbi seu copulae vices gerit et quidem, si facile sine periculo dirimendi sensum fieri potest, v. g. أَللّٰهُ هُوَ ٱلْحَيُّ Deus is vivus seu Deus est vivus; quod pronomen vices praedicati gerit etiam post pronomina primae et secundae personae, v. g. أَنَا هُوَ ٱلرَّبُّ إِلٰهُكَ ego sum Dominus Deus tuus, imo et post pronomen interrogativum, v. g. مَنْ هُوَ أَنَا quis sum ego?

2. Quando subjectum (pronomen personale) distinctius est efferendum, suffixum personale cum particula إِنَّ (accusativum regente) initio enunciationis collocatur, cui subjungitur pronomen separatum in persona sua propria, v. g. إِنِّي أَنَا ٱللّٰهُ en ego (i. e. certe ego) sum Deus (non autem إِنِّي هُوَ ٱللّٰهُ).

3. Emphasis causa saepe suffixo casus obliqui additur pronomen separatum ejusdem personae, generis et numeri, v. g. لِمَنْ هَذَا ٱلْكِتَابُ لَنَا نَحْنُ cuinam est liber hic? nobis, (inquam) nobis; aequo jure et verbis, v. g. إِنْ جِئْتَ جِئْتُ أَنَا si veneris, veniam (et) ego.

4. Arabismo indita est vis, qua duo suffixa uni verbo subjungi queant; requiritur autem ordo justus et perspicuus, ut suffixum primae personae antecedat suffixum secundae aut tertiae, v. g. سَلْنِيهَا roga me illud, vel ut suffixum secundae personae antecedat tertiae personae suffixum, v. g. أَعْطَيْتُكَهُمْ dedi te eis, vel ut, si utrumque suffixum tertiae est personae, tamen diversi numeri aut generis sit, v. g. مَنْعُكَهَا arcere te ab ea; secus alterutrum separandum est praefixa particula إِيَّا, v. g. أَعْطَيْتُهُ إِيَّاكَ dedi illi te.

Not. a. Quamvis unum verbum duo suffixa ferre possit, licet tamen separare posterius per إِيَّا; ast verbo finito elegantius habetur utrumque suffixum addere, secus in infinitivo et participio.

Not. b. Si accusativus pronominis ob sermonis vim antecedit, suffixum separatur a verbo et initio vocis cum إِيَّا munitum collocatur, v. g. إِيَّاكَ نَعْبُدُ te (solum et non alium Deum) colimus.

§ 54. B. De Pronominibus demonstrativis.

Pronomina demonstrativa cum nominibus suis conveniunt in genere et numero, nomen vero in plurali fracto jungitur pronomini demonstrativo singulari feminino, semper tamen e lege continua simplici nomini per articulum determinato praeponuntur, v. g. هَذَا ٱلْمَلِكُ οὗτος ὁ βασιλεύς; si vero suffixum aut genitivus substantivo accedens vim definitionis versus finem trahit, demonstrativum huic postponitur, v. g. عِبَادِى هَؤُلَاءِ servi hi mei, فَتَى زَيْدٍ هَذَا famulus Zaidi iste.

Not. Si nomini per genitivum determinato demonstrativum anteponitur, non raro alius oritur sensus, v. g. هَذَا فَتَى زَيْدٍ iste est famulus Zaidi, cum tali modo demonstrativo inest vis copulae seu verbi abstracti.

§ 55. C. De Pronominibus relativis.

1. Relativum in linguis semiticis ab enunciationis suae initio ponitur et quidem substantivi locum tenens abrupte, unde fit, ut pronomen relativum, etsi e sermonis nexu substantivi sensum necessario induat, e forma tamen sua et notione particulae proprius et flexionis (excepto duali) haud valde sit capax; cum ergo relativum abrupte sit praemissum, juncturae ejus definitio exactior, quae e toto enunciationis sensu nexuque postulatur, in sequentibus non minus supplenda est pronomine personali, quam post aliud nomen absolute positum.

2. Relativum ٱلَّذِى ejusque femininum ٱلَّتِى substantivo postponitur et tam arcte ei junctum est, ut non genus tantum, sed et numerum (imo et casum in duali adhuc servatum) sequatur. Cum relativum hoc gravissimam demonstrativi vim complectitur, nonnisi definito seu determinato nomini postponi potest, quae lex eo usque valet, ut post nomen indefinitum relativum hoc prorsus omittatur, tunc enim a) verbum personale simpliciter apponitur, v. g. مَلِكٌ يَعْدِلُ rex quidam, qui justus est, aut b) si relativum objecti loco est, solum suffixum conspicitur, v. g. رَجُلٌ قَتَلُوهُ vir, quem interfecerunt, quod suffixum semper redit, si relativum nomini vel praepositioni est subjectum, v. g. رَأَيْتُ رَجُلًا مَاتَ ٱبْنُهُ vidi virum, cujus filius mortuus est.

3. Relativi vis propria sita est in suffixo, quod in genere et numero congruit cum nomine, ad quod refertur et casum relativi flexionis expertis indicat; suffixum ergo necessario poni debet, si relativum a) ad objectum redit, v. g. ٱلرَّجُلُ ٱلَّذِى قَتَلُوهُ vir, quem interfecerunt, et b) si relativum nomini vel praepositioni est subjectum, v. g. ٱلرَّجُلُ ٱلَّذِى مَاتَ ٱبْنُهُ vir, cujus filius est mortuus, vel ٱلَّذِى يُوجَدُ عِنْدَهُ apud quem reperitur.

Not. a. Si ٱلَّذِى per se ab enunciationis fronte stat, proxima haec masculini forma non ad hominem tantum, sed ad rem quoque traduci potest, v. g. هُوَ ٱلَّذِى قُلْتُ id est, quod dixi.

Not. b. Suffixum accusativo inserviens haud raro post verbum transitivum omittitur aeque ac suffixum una cum praepositione, si relativum munitum erat praepositione.

4. Articulus أَلْ (relativo cognatus) sensu quoque relativo adhiberi potest, praeprimis si verbum finitum in participium abit; potest enim participium cum articulo aut substantivo

subjungi ab eoque pendere, aut per se poni, aut ad eandem personam vel rem pertinere, quam vox relativa insignit aut ad aliud subjectum referri, quod enunciationem relativam regit, v. g. اَلْمُلُوكُ ٱلْقَائِلُونَ reges, qui dicunt.

Not. Nonnunquam et articulus post nomen indefinitum omittitur, aut si participium sensu substantivi indefiniti per se ponatur, v. g. كَنِيسَةٌ مَحْجُوجٌ إِلَيْهَا ecclesia quaedam, ad quam concurritur vel مَوْلُودٌ لَهُ homo quis, cui genitum est; participium autem, cum relativum (omissum) substantivo praecedenti intime sit junctum, eundem casum continuat, v. g. مِنَ ٱلْقَرْيَةِ ٱلظَّالِمِ أَهْلُهَا ex urbe, cujus populus injustus est.

5. Etsi relativum مَنْ de personis et مَا de rebus proprie adhibetur, utrumque tamen haud raro inter se permutatur; sic مَنْ dicitur de rebus et irrationalibus, si per tropum personis seu rationalibus assimilantur et similiter مَا de personis.

§ 56. D. De Pronominibus interrogativis.

1. مَنْ et مَا ab initio quidem ponuntur nec tamen tam abrupte, quam voces relativi sensus; accusativi etiam et genitivi loco usurpantur, v. g. مَنْ قَتَلْتَ, quemnam interfecisti? Inter nomen definitum autem et interrogativum ponitur هُوَ loco praedicati, v. g. مَنْ هُوَ ٱلْغَنِيُّ quisnam est dives ille?

2. Pronomen hoc ita substantivi vi est praeditum, ut semper per se ponatur; sed de مَنْ notandum est, a) quod nomen indefinitum aliquod statim apponi possit eo modo, quo graece τίς ἀνήρ, ast solummodo in nominativo, uti مَنْ فَتًى quisnam vir? b) si de personae modo dictae ratione exactius quis interrogat, ut si quis dicenti: vide Zaidum, interrogans eodem tenore respondet مَنْ زَيْدًا quem Zaidum? ita licet substantivum eodem casu, qui in priori oratione erat, continuato

voci مَنْ apponere, aut simplicius nominativus ponitur مَنْ زَيْدٌ quis Zaidus?

Not. Post nomen appellativum indeterminatum, si quis interrogat, مَنْ declinatur, v. g. venit ad me aliquis; si interrogatur, quis est ille = مَنُو et in accusativo مَنَا; si autem interrogationi additur aliquid, v. g. verbum, manet pronomen interrogativum intactum, v. g. مَنْ قَتَلْتَ quisnam est, quem interfecisti?

3. Cum pronomina interrogativa substantivorum sensum teneant, etiam in statu constructo poni possunt ast rarius, v. g. مَنْ مِنَ ٱلنَّاسِ quis hominum? مَا رَأْيٍ quid consilii?

Not. Quod valet de pronominibus relativis sub 5. dictis, etiam applicandum est de pronominibus interrogativis, hinc مَا أَنْتَ quid tu es? (i. e. cujus generis et conditionis seu qualis es?)

4. Defectum flexionis pronominum مَنْ et مَا quodammodo resarcit interrogativum أَيٌّ, fem. أَيَّةٌ cum plurali et duali, eodemque sensu et nexu dicitur, quo مَنْ; propriam autem sedem habet in statu constructo, v. g. أَيُّهُمْ quis eorum? Substantivo indefinito neutrius loco in statu constructo praeponitur, v. g. أَيُّ صُورَةٍ quae forma? nec non admirationi exprimendae inservit. Absolute ab initio positum per مَنْ et مَا compleri amat praeprimis ad neutrum distinguendum, v. g. أَيُّمَا quidnam?

Not. Si nomen proprium vel determinatum praecedit, sequens أَيّ adverbialiter ponitur in accusativo sequente genitivo, v. g. (venit ad me Zaidus) أَيَّ رَجُلٍ qualis vir?

§ 57. E. De ceteris Pronominibus.

1. Pronomen possessivum indicatur per suffixa, v. g. كِتَابِي liber meus. Interroganti respondetur per notam dativi

لِ cum suffixo, v. g. لِي mihi لَكَ tibi; vel per substantivum مَتَاعٌ cum suffixo, v. g. مَتَاعُكُمْ supellex vestra. i. e. vestrum.

2. Cum linguae semiticae pronomen primitus reflexivum desit, pronomen suffixum tertiae personae ejus locum tenere potest, si alia vox ipsum inter et subjectum intercedit, v. g. سَاقَ سَيْفَهُ (extulit ensem suum), ad subjectum autem proxime referri nequit, quare in his reflexivi notio supplenda est per substantiva, ut نَفْسٌ anima, عَيْنٌ oculus, quae et notionem „ipsius“ suppeditant; tunc autem substantivo in appositione aut postponuntur convenientia cum illo in casu et numero, v. g. اَلرَّجُلُ نَفْسُهُ = idem vir, aut absque suffixo substantivo in genitivo posito praeponuntur, v. g. نَفْسُ ٱلرَّجُلِ anima viri i. e. idem vir. Haud raro nomina suffixa adsciscunt et declinantur, v. g. نَفْسَاكُمَا vosmet duo, vel cum praepositione بِ construuntur, v. g. أَتَى بِنَفْسِهِ venit in sua anima = ipsissimus; huc pertinent et nomina: ذَاتٌ essentia, وُجُودٌ existentia, رُوحٌ spiritus, رَأْسٌ caput, فُوهٌ os, جَوْهَرٌ essentia et similia.

3. Distributivum etiam designatur per nomen كُلٌّ universitas cum significatione „omnis, totus, quilibet“ vel cum vel sine articulo; si autem cum substantivo jungitur, hoc in genitivo sequitur et quidem in singulari absque articulo, in plurali vero cum articulo munitum, v. g. كُلُّ حَيٍّ omnis vivens, كُلُّ ٱلنَّاسِ omnes homines.

Not. a. Saepe كُلٌّ adjectivi instar cum suffixo nomini postponitur, v. g. اَلْمَدِينَةُ كُلُّهَا urbs tota (ea).

Not. b. Compositum cum مَنْ et مَا = كُلُّ مَنْ quicumque de personis, et كُلُّ مَا quodcunque de rebus usu venit.

4. a) E ceteris Pronominibus „quilibet“ exprimitur per كُلُّ إِنْسَانٍ aut كُلُّ أَحَدٍ.

b) „uterque“ indicatur per كِلَانِ, quod autem semper in statu constructo occurrit = كِلَا, femin. كِلْتَا pro casu recto, et كِلَىْ et كِلْتَىْ pro casu obliquo „ambo“; jungitur nonnisi cum nomine in genitivo posito in oratione definita et e lege duali tantum, v. g. كِلَا ٱلرَّجُلَيْنِ ambo viri, vel si pronomen sensu saltem dualem aequat, v. g. كِلَانَا ambo nos.

c) „nonnullus, aliquis“ designari potest: α) per أَحَدٌ, β) per interrogativum مَنْ γ) per substantivum articulo vacuum, δ) per nomen بَعْضٌ (pars) sequente genitivo pluralis seu collectivi vel sequente praepositione مِنْ, v. g. بَعْضٌ مِنَ ٱلنَّاسِ = nonnulli. Nomen hoc saepe repetitur sensu correlativo ita, ut prius suffixum adsciscat, v. g. بَعْضُهُمْ لِبَعْضٍ = unus alterum seu invicem (se oppugnaverunt).

d) „alius“ per substantivum غَيْرٌ diversitas cum suffixo indicatur, v. g. غَيْرُهُ = alius (proprie mutatio illius).

e) „qualis, talis“ notatur aut per particulam comparationis كَ sicut, aut per substantivum مِثْلٌ similitudo, aut per utrumque كَمِثْلِ instar similitudinis.

§ 58. F. De Articulo.

1. Articulus rem notam animo nunc obversantem repraesentat, sive quod jam nominata est, sive quod nota statim vel e contextu satis perspicienda sumitur. Usus fere idem est, qui in lingua hebraica.

2. Nomina propria, cum per se personam vel rem certam notant, articulo facile carent, praeprimis peregrina, nisi sectarum

vel populorum nomina, quae eum constantius servant, v. g. اَلْيَهُودُ Judaei; saepe etiam locorum nomina, quorum origo est dilucidior, eum servant, v. g. اَلْمَدِينَةُ Medina (pr. urbs prophetae), اَلْقَاهِرَةُ Kahira (pr. victrix), اَلْقُدْسُ Hierosolyma (pr. τὸ ἱερόν) nec non personarum nonnulla, quorum significatio primitiva linguae constitit, v. g. اَلْعَدْلُ pr. Justus.

Not. Nomina propria sine articulo usitata e vi et notione sua nomina appellativa articulo determinata prorsus aequant.

3. Nomen articulo vacuum semper indefinitum (quidam) significat, v. g. رَجُلٌ vir quidam, relate ad tempus aliquid indefinitum notat, v. g. يَوْمًا die quodam; imo ad pluralem quoque vel collectivum translatum idem innuit, v. g. أَيَّامٌ dies aliquot.

4. Nomen, quod jam aliunde determinatum est sive per suffixum sive per statum constructum, semper articulo caret, qui genitivum hoc in casu semper comitatur, v. g. يَوْمُ ٱلدِّينِ dies judicii, كِتَابِي liber meus.

II. CAPUT.

De Syntaxi Verborum.

Verbi finiti temporibus modisque lingua summo utitur ambitu et libertate; utrumque enim tempus (perfectum seu Aoristus I. et imperfectum seu Aoristus II.) non unius et constantis est significationis; hinc de utriusque temporis modorumque usu sermo est instituendus.

§ 59. De usu Perfecti seu Aoristi I.

1. Perfectum Arabum exprimit, e nostra lingua judicatum, Praeteritum, quod absolutum simpliciter et perfectum enun-

ciatur estque tempus historicum ac imperfectum perfectumque Germanorum acquat; dein indicat

2. **Praesens**, si de actione certa perdurante est sermo (dixerunt dicuntque), uti in proverbiis, comparationibus, in scholiastis, pactis et contractibus, quae rem futuram ut jam stabilitam describunt (perfectum gnomicum); porro in verbis animi dispositionem notantibus perfectam et diu manifestatam, v. g. شِئْتُ volo; denique

3. **Futurum** nostrum, si loquens rem futuram quasi jam factam et certissimam animo suo conspicit, praeprimis a) si votum aliquod simpliciter ita enunciatur, ut loquens se id factum velle innuat, v. g. لَعَنَهُ ٱللّٰهُ maledicet ei deus! b) si in tempore futuro describendo unam rem ut jam factam ponunt vel inceptam describunt, praecipue post إِذَا quando et مَا quamdiu et post particulas conditionales: إِنْ, مَنْ, حَيْثُ ubi etc., quo in casu Latini exactius futurum exactum ponunt, v. g. إِنِّي مُقِيمٌ مَا أَقَامَ عَسِيبٌ ego permanebo, quamdiu Asib permanserit.

Not. a. Significatio temporis tam late patens exactior fit per particulam قَدْ, quae notat actionem eo ipso tempore perfectam et in statu, quo est perfecta, eodem durantem, hinc tempus simplex in definitum vertit, v. g. قَدْ مَاتَ modo mortuus est; usurpatur ergo قَدْ in enunciatione singula, α) si quis actionem eo ipso, quo loquitur temporis momento jam perfectam et in eo statu manentem edicit, v. g. قَدْ قَالَ dixit dicitque (praesens perfectum), β) si enunciatio rei factae narrationi intime subjungitur, actio introducitur eo ipso, quo narratur temporis momento, jam transacta et in hoc statu permanens (praeteritum perfectum seu plusquamperfectum), v. g. وَقَدْ عَمِيَ أَخْرَجَهُ eduxit eum jamque obcoecatus erat. Ast nunquam perfectum cum قَدْ notionem hanc exprimere potest, nisi ubi res praeterita modo narrata est, cui alia praeterita sed illa eveniente jam praeterita prorsus et perfecta subjungitur intime annexa; hinc nonnisi in enunciationibus subjunctivis nostri plus-

quamperfecti loco poni potest, quo etiam pertinent enunciationes causales cum لِأَنَّ quia et post particulas لَمَّا, أَنْ بَعْدَ posteaquam, v. g. إِنْهَزَمَ لَمَّا قُتِلَ أَهْلُ بَيْتِهِ fugit, cum occisi erant familiares.

Not. b. Si plusquamperfectum liberius aut ab initio vocis per se collocandum est, aut sine omni nexu arctiori ponitur, verbi perfecto كَانَ (fuit) est praemittendum; sic plusquamperfecti forma peculiaris oritur, in qua قَدْ omittitur, v. g. كَانَ قَتَلَ occiderat. Si plura verba eadem serie sequuntur, كَانَ قَدْ ab initio posuisse sat est.

Not. c. Post particulam hypotheticam لَوْ „si" et لَوْلَا „si non" perfectum denotat Conjunctivum imperfecti seu cum كَانَ plusquamperfecti, quo in casu apodosis affirmans munita est particula لَ, et negans particula لَمْ, v. g. لَوْ كُنْتَ هَاهُنَا لَمْ يَمُتْ أَخِي. Si fuisses hic, non mortuus esset frater meus.

Not. d. Nostrum futurum exactum saepe exprimitur per verbi perfectum conjunctum cum Aor. II. verbi كَانَ, v. g. يَكُونُ نَصَرَ adjuverit.

§ 60. De usu Imperfecti seu Aoristi II.

Tempus secundum actionem imperfectam seu futuram omnino aut nondum prorsus absolutam et perfectam denotat. Modus Indicativi cum Damma indicat:

1. Actionem nondum perfectam i. e. futuram simpliciter, et locum habet, si res temporis praeteriti puncto facienda et futura subjungitur, v. g. أَرْسَلَ رَسُولًا يَقُولُ misit legatum, ut diceret (ergo pro Latinorum Conjunctivo praeteriti). Ad futurum autem simplex absolutumque dilucidius exprimendum vocula سَ praefigi solet, v. g. سَنَذْكُرُ memorabimus; sic futuri peculiaris oritur forma in singulo verbo tantum usitata, ut si plura sequantur, primum tantum سَ praefixum habeat.

Not. سَ decurtatum est ex سَوْفَ (سَوْ vel سَفْ) = hebraicum סוֹף finis, futurum vel in futurum designans.

2. Etiam Praesenti nostro denotando Aoristus II. inservit, imo ejus est forma peculiaris, v. g. يَقُولُ dicitur, imprimis adhibetur de actione, quae in statu suo durans cum alia in enunciatione secundaria nectitur, aut quae perfecta quidem ast continua denuoque semper repetita se manifestat; hinc praeprimis in populorum moribus, institutis etc. describendis a poetis usurpatur.

3. Sed et praesens praeteriti seu Imperfectum i. e. actionem in temporis puncto praeterito praesentem designat, cui, ut facilius a praesente simplici distinguatur, كَانَ praeponitur, v. g. كَانَا يَنْطَحَانِ بِقُرُونِهِمَا feriebant ambo sese cornibus suis.

Not. Quod si contingat, ut simul plusquamperfecti loco praeteritum tale cogitandum sit, non duo كَانَ praefiguntur, sed e nexu plusquamperfecti notio cogitanda relinquitur.

Verborum Modi.

§ 61. De usu Aoristi antithetici seu Subjunctivi.

Modus hic (nasbatus, obliquus seu subjunctivus) actionem notat, quae, ut fiat, ab alia re movetur, seu quae facienda aliunde pendet et alio se refert; actio per se semper est facienda, futura, sed sistitur, ut ab alia re mota conditionibus rerum subjiciatur (respondet Conjunctivo Latinorum cum ut). Hinc Subjunctivus per se vel ab initio sermonis stare nequit, sed conjunctionibus idoneis subjunctus reperitur, quae sunt:

1. frequentissima est أَنْ „ut“, si verba voluntatis praecedunt uti volendi, studendi, impediendi, timendi, jubendi, vetandi, jurandi, testandi, efficiendi; ejusdem juris est قَبْلَ أَنْ „antequam“ et مِنْ غَيْرِ أَنْ „ita ut non“.

2. لَنْ est particula negationis rei futurae fortioris, orta ex لَا أَنْ = nequaquam, v. g. لَنْ يَفْعَلَ nequaquam faciet;

3. لِ praepositio in conjunctionem abiit finem actionis denotans (= ἵνα), v. g. مَدَّ يَدَهُ لِيَصْفَعَهُ extendit manum suam, ut eum verberaret; quodsi negatio accedat, ea non proxime voci لِ subjungitur, sed semper أَنْ simul interponitur, لِئَلَّا = ἵνα μή.

4. حَتَّى eo usque ut, donec, si notat finem actionis, v. g. أَجِرْهُ حَتَّى يَسْمَعَ كَلَامَ ٱللّٰهِ recipe eum, donec audiat dei verbum; ubi vero حَتَّى simpliciter tempus describit, indicativus ponitur seu perfectum.

5. فَ consequentiam denotans subjunctivum sibi postponit, si post imperativum, jussivum vel sermonem alium de tempore praesenti vividum rem futuram proponit, v. g. إِغْفِرْ لِي يَا رَبِّي فَأَدْخُلَ ٱلْجَنَّةَ ignosce mihi, domine, ut paradisum intrem.

Not. Post jussivum negativum فَ latine per „ne" vertere licit, v. g. لَا تُؤَاخِذْنِي فَأَهْلِكَ ne castiga me, ut non peream.

6. وَ cum subjunctivo potest jungi, si cogitationem priori subordinatam remque eodem tempore simul gerendam denotat, v. g. لَا تَنْهَ عَنِ ٱلْخُلُقِ وَتَأْتِيَ مِثْلَهُ ne reprobes mores, ut simul similes proferas.

7. أَوْ aut, si ante enunciationem priori arctius nexam notat „nisi forte sit, ut" v. g. لَأَقْتُلَنَّ ٱلْكَافِرَ أَوْ يُسْلِمَ profecto interficiam paganum, aut (i. e. nisi) Moslemus fiat.

Not. E dictis patet, Subjunctivum non posse nisi proxime post conjunctionem poni nulla voce intercedente.

§ 62. De usu Aoristi ǵezmati seu Jussivi.

1. Jussivus per se ab initio sermonis non dicitur, sed semper quaerit fulcrum, quo sermo concitatius incipiens ni-

tatur; sic post simplicem negationem ponitur, v. g. لَا يَفْعَلْ ne faciat, et post particulam conditionalem aliasque sensu ei compares; ponitur ergo Jussivus

2. Post إِنْ in protasi et in apodosi; in protasi, si conditio nonnisi de rebus futuris intelligitur, jussivus autem in protasi occurrens etiam in apodosi haud mutatus continuatur, v. g. إِنْ يَشَاءِ ٱللَّهُ يَخْتِمْ عَلَى قَلْبِكَ si velit Deus, obsignabit cor tuum.

Not. a. Praecedente in protasi imperativo, qui indole et origine sua jussivo simillimus est, in apodosi necessario jussivus sequitur, v. g. أُنْصُرْنِي أَنْصُرْكَ adjuva me, adjuvabo te (cui substituere possis: si me adjuvabis, ego te adjuvabo).

Not. b. Praecedente in protasi perfecto, in apodosi indicativus, raro jussivus ponitur.

3. Hoc et valet de similibus particulis; ubicunque enim eadem simplicis conditionis vel rei simpliciter sumtae notio subest, structura eadem est; sunt hae particulae: مَا quidquid, مَنْ quicunque, مَهْمَا quidquid, كُلَّمَا quotiescunque, إِنَّمَا siquando, أَنَّى ubicunque, أَيٌّ quicunque, أَيْنَ vel أَيْنَمَا ubicunque, أَيَّانَ quando, حَيْثُ et حَيْثُمَا ubi, كَيْفَ et كَيْفَمَا quomodocunque.

4. Post particulas لَمْ non et لَمَّا (ex لَمْ et مَا) nondum, quae rem semel factam (praeteritam) negant emphatice, hinc haec negatio ceteris negationibus et simplicibus et compositis est opposita, v. g. لَمَّا يَدْخُلْ nondum intravit.

5. In enunciatione simplici jussivus nativo suo sensu non adhibetur, nisi in tertia persona pro imperativo, cujus significandi gratia semper لِ praefigitur, v. g. لِيَفْعَلْ faciat.

Not. Rarissime poetae jussivum nudum pro imperativo ponunt, v. g. مُحَمَّدُ تَفْدِ نَفْسَكَ كُلُّ نَفْسٍ o Muhammede, redimat animam tuam quaevis anima.

§ 63. De usu Aoristi energici seu parogogici.

1. Utraque futuri forma parogogica adhibetur, cum futurum rem futuram quodammodo petit, ut fit imperando, excitando, optando, prohibendo, interrogando; ponitur post conjunctionem إِمَّا (ex إِنْ et مَا) et post jurisjurandi formulas, v. g. وَٱللّٰهِ ٱضْرِبَنَّ per Deum! verbera quaeso, quo in casu plerumque particulam asseverandi لَ praefixam habet; in prima persona jussivus solitarius semper cum terminatione hac obvius est, v. g. لَأَفْعَلَنَّ profecto faciam.

2. Obvius est ut jussivus in enunciatione conditionali et quidem in apodosi munitus cum particula لَ, quae et ipsi particulae إِنْ praefigitur, vel in protasi post إِمَّا „si" et إِمَّا— أَوْ aut — aut, v. g. لَئِنْ سَأَلْتَهُمْ لَيَقُولُنَّ si interrogaveris eos, profecto dicent, et إِمَّا نَذْهَبَنَّ بِكَ — أَوْ نُرِيَنَّكَ sive auferamus te, sive videre te faciamus.

3. Ponitur modus hic in interrogationibus, si de voluntate agitur, v. g. هَلْ تَذْهَبَنَّ numquid abibis? أَلَا تَنْزِلَنَّ nonne descendes?

Not. Cum modus energicus vim imperativi auget et confortat, hinc recte ab Arabibus Nun paragogicum hujus modi نُونُ ٱلتَّوْكِيدِ Nun affirmationis nominatur.

§ 64. De Infinitivo.

Infinitivus seu nomen actionis solam actionem eloquitur sine personae, temporis vel modi varietate et nominis magis, quam verbi similitudinem et nexum fert.

A. De ejus Usu.

1. Usus Infinitivi frequentissimus est hic, ut nominis instar aut subjecti loco sit, v. g. كُفْرٌ بِٱللّٰهِ أَكْبَرُ non credere in Deum gravissimum est, aut a praepositione vel statu constructo quodam dependens actionem integram eloquatur.

2. Praeterea Infinitivus **absolute** ponitur post verbum finitum et quidem in accusativo, sive ut actioni major vis et emphasis addatur, v. g. ضَرَبَ ضَرْبًا verberavit verberando, مَوْتًا تَمُوتُ morte morieris, sive ut actio praecedens explicetur, v. g. أَبَادَهُمْ قَتْلًا وَأَسْرًا perdidit eos interficiendo et ligando, sive ut actio simul finem et consilium indicet, v. g. قَامَ تَعْظِيمًا surrexit honorando eum i. e. ut eum honoraret, sive ut nova actio priorem exponens post copulam adeo breviter annectatur, v. g. زَيَّنَّا — وَحِفْظًا ornavimus et custodivimus; quo in usu bene per Gerundium Latinorum potest reddi.

Not. Infinitivus in accusativo positus saepe **Adverbii** instar adhibetur, hinc merito casus hic adverbialis nominatur suppresso scilicet verbo finito, a quo pendet, v. g. أَيْضًا etiam, جِدًّا valde supponunt verbum finitum ast suppressum آضَى أَيْضًا iteravit iterando i. e. iterum, etiam, et جَدَّ جِدًّا adhibendo studium usus est studio i. e. valde.

3. Quamvis Infinitivus qua nomen actionis nominibus accensetur, tamen duobus potissimum in punctis verbo fidelius inhaeret: a) quod Infinitivus nudus, quatenus simplicem verbi notionem nominis forma indutam eloquitur, articulo caret, v. g. فَصَبْرٌ جَمِيلٌ ergo pati pulchrum est, b) alterum juncturam seu structuram respicit, qua verbis finitis Infinitivus est simillimus.

B. De ejus Structura.

Infinitivus in eo verbi structuram sequitur, quod pro ejus natura aut cum praepositione aut arctius objecto jungitur, sed cum Infinitivo personae agentis haud insit denotatio, nomen, si ei jungitur, in statu constructo sequi debet et quidem:

a) Si nomen, quod verbo finito subjecti loco esset, Infinitivo annectitur, qua proxime subjunctum in genitivo

ponitur, objectum vero, si quod accedat, jam laxius in accusativo subjunctum manet. Hinc: كَانَ مَوْتُ مُحَمَّدٍ erat mori (mors) Muhammedis seu cum Muhammedes moreretur, vel cum objecto: كَانَ قَتْلُ ٱلْخَلِيفَةِ جَعْفَرًا accidit interficere Chalifae Ǵa'farum i. e. cum interficeret Chalifa Ǵa'farum.

b) Si objectum solum idque proxime infinitivo succedat, per statum constructum apponitur, si vero quid intercedat vel infinitivus cum articulo muniatur, objectum in accusativo manet, v. g. مَنَعَهُمْ مِنْ قَوْلِ ٱلْحَقِّ prohibuit eos a dicendo verum; e contra إِطْعَامٌ فِي يَوْمٍ ذِي ٱلْمَسْغَبَةِ يَتِيمًا τὸ cibare in die famis orphanum (quo in casu infinitivus إِطْعَامٌ nunnationem servat) et لَمْ أَنْكُلْ عَنِ ٱلضَّرْبِ مِسْمَعًا non abstineo timidus a feriendo aurem.

Not. a. Quando nomini, quod ab infinitivo pendens in genitivo est positum, alterum adjungitur per copulam و, hoc jam in accusativo sequi potest, quia nexus proximus jam sublatus est, v. g. كَرِهْتُ أَكْلَ ٱلْخُبْزِ وَٱللَّحْمَ fastidio esum panis et carnis, imo quidam hic nominativum sequi posse putant وَٱللَّحْمُ, verbo scilicet passivo substituto أَنْ يُؤْكَلَ ne edatur.

Not. b. Subjectum infinitivi verborum intransitivorum semper in statu constructo jungitur, v. g. كَانَ كَذَلِكَ وُقُوعُ زَيْدٍ إِلَى ٱلْأَرْضِ erat hoc modo procumbere Zaidi ad terram.

§ 65. De Participio.

A. De ejus Usu.

1. Cum participia aeque ac infinitivi nominibus adnumerantur, hic ea ratione illustranda sunt, qua ad verbum propius accedant et e verborum indole usus eorum pendeat. Participium denotat aut personam agentem aut statum agentis durantem, praeprimis quando praedicati loco est positum, vario autem usu:

1. in enunciatione per se stante participium actionem longius durantem nuncque permanentem (ergo tempus praesens) sistit, v. g. مُحَمَّدٌ نَائِمٌ Muhammedus dormit, أَنَا جَائِعٌ esurio;

2. pro sententiae ratione futuram quoque rem vel instantem vel vividius expressam ut animo praesentem et certam obversantem notare potest et quidem frequentissime, v. g. كُلُّ نَفْسٍ ذَائِقَةُ ٱلْمَوْتِ omnis homo gustans (i. e. gustabit) mortem; et in passivo هٰذَا مَقْتُولٌ hic interficiendus est.

Not. a. Saepius futuri notio praeposito إِنَّ (הִנֵּה) acuitur, v. g. إِنِّي قَاتِلُكَ ego te interficiam.

Not. b. Nonnunquam كَانَ ei praepositum novum format tempus compositum sc. futuri praeteritum, v. g. أَمْرٌ كَانَ مَفْعُولًا res, quae erat facienda.

3. Participium imo et rem praeteritam notare potest et quidem magis statum actionis immutatae seu conditionem quam actionem describens, v. g. أَنْشَدَ وَهُوَ مَحْبُوسٌ بِمَكَّةَ cecinit, dum erat in vinculis Meccae; وَهُوَ وَاقِفٌ يَنْظُرُ dum ipse stabat, videt.

Not. a. Si persona participii eadem est, quae subjecti, participium statim verbo priori in accusativo subjungitur, v. g. وَصَلَ رَاجِعًا venit rediens; imo et plura participia tali modo junguntur, v. g. جَآءَ زَائِرًا وَمُعَظِّمًا لِهٰذَا ٱلْبَيْتِ venit visitans et venerans hanc domum.

Not. b. Eadem ratione participium verbo كَانَ subjungitur, v. g. كَانَ نَازِلًا habitabat, et ab imperfecto tantum eo distinguitur, ut statum rei immutatum exprimat, imperfectum vero rem celerius transeuntem vel repetitam sistat.

B. De Structura participii.

1. Lex summa haec est: participium similiter ac infinitivus juncturam verbi sui **finiti** sequitur; si igitur verbum praepositioni jungitur, participium eandem sibi annectit, v. g. مَا ٱللّٰهُ بِغَافِلٍ عَمَّا تَعْمَلُونَ non negligit Deus id, quod facitis.

2. Si verbum proxime cum objecto jungitur, hoc aut in accusativo aut in statu constructo apponitur, et quidem accusativus praefertur, si participium in praedicato cum بـ indefinite vel post interjectionem يَا ponitur, v. g. يَا طَالِعًا جَبَلًا o eum, qui ascendit montem! e contra genitivi structura praefertur, si participium ob verborum nexum facilem cum relativo pronomine perfectum circumscribit, v. g. هُوَ قَاتِلُ أَخِيهِ is, qui interfecit fratrem suum.

Not. a. Rarius accusativus nominis post statum constructum ponitur, v. g. ٱلضَّارِبُوا زَيْدًا qui verberant Zaidum

Not. b. Si plura objecta verbum sibi subjungit, prius tantum post statum constructum in genitivo ponitur, sequentia autem ob nexum jam remotiorem in laxiorem accusativi subjunctionem transire possunt. (conf. § 61. Not. a.)

Not. c. Si nomen infinitivum aeque ac participium proxime sequens nexum genitivi ferre nequit, cum praepositione لِ construitur, praeprimis in pronominibus et quando utrumque cum articulo ponitur, v. g. مُعْجِبٌ لَكَ aliquis, qui te mirari facit, ٱلنَّاقِلُ لِهٰذِهِ ٱلْكِتَابَةِ qui transtulit hanc scriptionem, quam structuram amant adjectiva intensiva et adjectiva a verbis amandi et odendi derivata, v. g. أَحَبُّ لِلْأَمْرِ amantior rei.

Not. d. Quodsi objectum participii in accusativo positum sit pronomen, aut separatum adjuncto إِيَّا adhibetur, aut suffixum usurpatur, quod nunnationem participii in singulari positi aufert; dualis autem et pluralis sani Nun finale vel retinetur vel amittitur, v. g. ٱلضَّارِبُونَكَ et ٱلضَّارِبُوكَ verberantes te.

3. Participii passivi subjectum in nominativo poni solet, v. g. زَيْدٌ مَقْتُولٌ حَالًا أَبُوهُ Zaidus, cujus pater nunc occisus est; potest tamen et in genitivo poni ut nomen a participio rectum (مَقْتُولُ ٱلْأَبِ), vel quoque in accusativo adverbiali modo (مَقْتُولٌ أَبًا).

§ 66. De verbo indefinito.

1. Enunciatio saepe subjecto definitiori caret tum personae tum rei. Personae deest denotatio, si eam aut nescimus aut nominare nil attinet. Sed antiquus tertiae singularis verbi personae usus in arabismo evanuit; si ergo de persona prorsus incerta agitur, facile vir aut femina (aliquis) inseritur, vel si de singulo inter plures jam notos agitur, participium ejusdem verbi finiti subjecti vicem gerit, ut: قَالَ قَائِلُهُمْ dixit dicens eorum i. e. is inter eos, qui dixit nescio quis.

Not. Raro tamen in hoc nexu Aoristus II. adhibetur.

2. Non raro tertia persona masculina verbi pluralis usurpatur, cum plurali copiae incertae notio per se insit, v. g. قَالُوا dicunt (man sagt); nonnunquam participium ejusdem verbi adnectitur aut sine articulo, si de **nonnullis** sermo est, v. g. قَالُوا قَائِلُونَ dixerunt aliqui, aut cum articulo, ubi de omnibus hujus generis agitur, v. g. مَا سَمِعُوا ٱلسَّامِعُونَ nunquam audierunt audientes.

3. De re haud distinctius nominanda si agitur, cum neutrum non adsit, tertia persona masculina imo feminina (praecipue in tempestatis verbis) utriusque temporis usurpatur, v. g. مَطَرَ pluit, رَعَدَتْ vel تَرْعُدُ tonuit, بَرَقَتْ vel تَبْرُقُ fulguravit.

4. Lubentissime tertia persona masculina Aoristi I. passivi in singulari ad subjectum indeterminatum significandum adhibetur, v. g. قِيلَ dicitur, حُكِيَ vel حُدِّثَ narratur, fertur.

CAPUT III.

De Syntaxi Nominum.

§ 67. De Nominativo.

Nominativus ponitur, ubicumque nomen per se stat a nullo vocabulo vel notione dependens, sive substantivum eo enuncietur sive praedicatum proximum. Alter nominativi usus (absolutus) ex infra dicendis melius elucebit (vid. § 74. 4.).

§ 68. De statu constructo et genitivo.

A. De ejus Usu.

Nomen statu constructo nexu intimo per sequentem genitivum definitur, hinc nomen antecedens „definitum", sequens genitivus „definiens" vocatur. Arabes prius nominant annexum, genitivum id, cui annexum est et ipsam juncturam annexionem appellant, quae junctura efficit, ut nunnatio nominis definiti semper pereat. Cum duae notiones sui juris ad unicam notionem junguntur, sequens semper debet esse substantivum vel substantivi vi praeditum, definitum autem varium esse potest; hinc usus hujus juncturae quam late patet:

1. Si substantivum substantivo circumscribitur,

a) duo concreta connecti possunt, v. g. مَلِكُ ٱلْأَرْضِ rex terrae; quod ad nomina propria etiam extenditur, v. g. إِيلِيَا فَلَسْطِينَ Aelia Palaestinae, imo ad ortum e tribu exprimendum, v. g. حَاتِمُ طَيِّءٍ Hatim Tai (i. e. e tribu Tai ortus.)

b) prius abstractum esse potest; quod si sensum habet activum, genitivus aut subjectum aut objectum notare potest, v. g. ذِكْرُكَ memoria tua aut memoria tui, quod praeprimis locum habet in infinitivis activis.

c) definiens frequentius abstractum est ad notionem adjectivorum exprimendam, v. g. صَنَمُ ذَهَبٍ idolum auri i. e. aureum; imo nominibus propriis adnectitur, v. g. زَيْدُ ٱلْضَّلَالِ Zaidus perfidiae i. e. perfidus. Ex hac adjectiva formandi ratione fluunt singularia quaedam:

α) Multa nomina secundaria nomini ita per statum constructum sunt subnexa, ut ex utroque notio attributivi seu adjectivi nominis oriatur; sunt autem: ذُو (genit. ذِي; acc. ذَا; fem. ذَاتُ; pl. masc. ذَوُو et أُولُو, cas. obl. ذَوِي et أُولِي, pl. fem. ذَوَاتُ) possessor, صَاحِبٌ socius, possessor, أَبٌ pater et أُمٌّ mater, i. e. auctor, causa, principium alicujus rei, إِبْنٌ filius et إِبْنَةٌ filia, quae ex alia re ortum vel cum ea necessario junctum notant, et أَخٌ frater seu conjunctus, v. g. ذُو ٱلْخَيْرِ bonus, أَبُو ٱلْحَيَاةِ pater vitae (epith. pluviae).

Not. Annexio primorum duorum prosaica est, reliquorum vero plurimorum poetica et recens formata.

β) Deinde notiones quaedam secundariae, quae aliis linguis adjectivis vel praepositionibus exprimi solent, substantivis indicantur in statu constructo praemissis, quae substantiva sunt sequentia:

1. كُلٌّ proprie universitas, notat ante substantivum definitum, quod solum in suo genere cogitandum est, „totum", v. g. كُلُّ ٱلْبَيْتِ tota domus, ante pluralem seu collectivum „omnes", v. g. كُلُّ ٱلنَّاسِ omnes homines, et ante substantivum indefinitum „quemvis", v. g. كُلُّ يَوْمٍ quivis dies; saepius vero dicitur كُلُّ وَاحِدٍ omnis singulus. Non raro vox haec adjectivi instar substantivo definito postponitur, repetito suffixo ejus ad quod refertur substantivi, v. g. أَلْمَدِينَةُ كُلُّهَا urbs tota

ea. Eodem modo vox جَمِيعٌ proprie collectio, totum notans aut proponitur aut cum suffixo juncta sequitur.

Not. Raro hae voces solae ita ponuntur, ut articulus vicem suffixi suppleat, v. g. أَلْجَمِيعُ τὸ ὅλον = omnes i. q. جَمِيعُهُمْ et أَلْكُلُّ.

2. بَعْضٌ pars nectitur cum sequente genitivo pluralis vel collectivi, v. g. بَعْضُ ٱلْحُكَمَاءِ pars i. e. aliqui sapientum; si correlative repetitur, posteriori suffixum non denuo additur, v. g. تَقَاتَلُوا بَعْضُهُمْ لِبَعْضٍ oppugnaverunt se unus alterum (i. e. invicem).

3. غَيْرٌ pr. mutatio, diversitas, negat adjectivi immediate subsequentis notionem formatque quasi composita, quae indogermanica lingua praeposita syllaba ἀν (ἀ) in graeco, „in“ in latino et „un“ in germanico sermone exprimit, v. g. غَيْرُ مَخْلُوقٍ increatum; si autem substantivis vel suffixis praeponitur, rem seu personam diversam jam a nota designat, v. g. أَلْمُلُوكُ وَغَيْرُهُمْ reges et alii homines; in accusativo vim habet praepositionis „praeter“.

Not. a Ejusdem generis sunt سِوًى exceptio = praeter; مِثْلٌ similitudo (sicut), نَحْوٌ sequente genitivo notans versus, secundum, circiter, et حَسْبٌ sufficientia (satis).

Not. b. كِلَا par = ambo jungitur nomini aut suffixo nonnisi in oratione definita et e lege duali tantum, v. g. كِلَا ٱلرَّجُلَيْنِ ambo viri كِلْتَاهُمَا ambo eae.

Not. c. رُبَّ seu رُبَّةٌ proprie رُبٌّ = רֹב multitudo seu copia, adverbialiter in accusativo positum denotat actionem frequenter factam i. e. saepe, nonnunquam et genitivo indefinito ab sermonis initio praeponitur, v. g. رُبَّ رَجُلٍ رَأَيْتُهُ جَاهِلًا saepe vidi virum ignarum. Quod رُبَّ

idem et simplex وَ potest notare sequente genitivo nominis indefiniti, ut وَرَجُلٍ, imo et فَ et بَلْ.

γ) Cum pronomina interrogativa مَنْ, مَا et أَيٌّ substantivorum sensum teneant, etiam in statu constructo junguntur, v. g. مَنْ مِنَ ٱلنَّاسِ vel أَيُّ ٱلنَّاسِ quis hominum?

δ) Cum et praepositiones ex origine aut vi sint nomina, semper genitivus eis nectendus est.

ε) Potest quoque pars summa per statum constructum a toto distingui praeprimis in nominibus vi superlativi praeditis (= genitivus partitivus), v. g. أَعْلَمُ ٱلنَّاسِ sapientissimus hominum, et in numeralibus ordinalibus, v. g. أَوَّلُهُمْ primus eorum; repetito eodem nomine plurali per articulum definito in genitivo gradus summus indicatur, v. g. قَاضِي ٱلْقُضَاةِ judex judicum i. e. summus judex; saepe ad praedicatum substantivi insigniendum adjectivum genitivo substantivi pluralis definito praeponitur, v. g. سَوَابِغُ ٱلنِّعَمِ ampla donorum i. e. amplissima dona.

2. Adjectiva etiam substantivis in genitivo positis circumscribuntur, v. g. حَسَنُ ٱلْوَجْهِ pulcher faciei طَاهِرُ ٱلْقَلْبِ purus corde; participia passiva idem subeunt, imo e activat nominum instar posita, v. g. كُلُّ نَفْسٍ ذَائِقَةُ ٱلْمَوْتِ quaevis anima gustans mortem.

B. De ejus Structura.

1. Cum junctura vocum haec intima sit et necessaria, ita ut e duobus nominibus unum oriatur compositum, utrumque invicem immediate excipere debere patet, hinc nulla ne minima quidem vox interponi potest; adjectiva igitur, si sunt apposita ad nomen, post finitam demum status constructi juncturam ponuntur, v. g. مَلِكُ ٱلْأَرْضِ ٱلْكَبِيرُ rex terrae major.

Quodsi utriusque nominis et numerus et genus est idem, ad utrum appositio se referat, e casuum flexione apparet.

Not. Secundum arabes grammaticos unicum juramentum improviso insertum interponi potest, v. g. إِنَّ ٱلشَّاةَ تَسْمَعُ صَوْتَ وَٱللّٰهِ رَبِّهَا ecce ovis audit vocem — per deum! domini sui. Raro poetae nomen aliquod sive vocativum sive nominativum interponunt.

2. Nomen definitum nunquam adsciscit articulum, quo si opus est, ad nomen definiens rejicitur, ita tamen, ut ejus vis ad totam juncturam pertineat; sunt autem notanda:

A. Substantiva jungi possunt prorsus diversa:

a) si utrumque definitum est, articulus posteriori vel si plura adsint, ultimo praefixus ad totam juncturam pertinet, v. g. ملك ٱلأَرْضِ rex terrae (de certo rege et certa terra). Si vero nomen absolute ab initio cum articulo ponitur, idem repetitur sine articulo in statu constructo, v. g. ٱلأَسْبَابُ أَسْبَابُ ٱلسَّمَآءِ tractus, tractus coeli.

b) si prius indefinitum est, alterum vero per se definitum, articulus manere potest, nisi oriatur obscuritas, v. g. شِبْهُ ٱلصَّلِيبِ similitudo crucis (scil. christianae), libenter tamen articulus omittitur. Si e remanente necessario articulo ambiguitas oriretur, status constructus resolvi seu tolli oportet (per praepositiones);

c) si prius per se definitum est, posterius autem indefinitum, articulus non ponitur, ne indefiniti notio necessaria pereat, v. g. حِمَارُ بُسْتَانِيٍّ asinus hortulani cujusdam.

Not. a. Si nominibus formae أَفْعَلُ i. e. superlativis adjectivis definitionis causa substantivum postponitur, sequitur in genitivo sine articulo, quia genitivus non vult nisi rem, quo superlativus se referat, indicare, quare articulus supervaçaneus fit, v. g. أَفْضَلُ رَجُلٍ optimus vir; quam constructionem etiam numeralia ordinalia, quae superlativos

aequant, sequuntur, v. g. أَوَّلُ يَوْمٍ primus dies, quamvis hic frequentissima quoque est consueta adjectivi constructio, ut أَلْيَوْمُ ٱلْأَوَّلُ.

Not. b. Si adjectivi notio praevalens sistitur, alia quoque adjectiva in statu constructo praeponuntur, quod tamen rarius est et poetis proprium, v. g. عَاجِلُ طَعْنَةٍ celer ictus. Rarius adjectivum neutrum in genitivo statui constructo substantivi postponitur (v. g. in Corano) جَنَّةُ نَعِيمٍ hortus jucundi i. e. jucunditatis.

Not. c. Pronomen interrogativum أَيٌّ et أَيُّمَنْ quicumque genitivum sibi subjungit aut sine articulo (annexio explicativa), v. g. أَيُّ رَجُلٍ quisnam vir? aut cum articulo (annexio partitiva), v. g. أَيُّ ٱلرِّجَالِ quis hominum?

B. Substantiva minus diversae notionis per statum constructum etiam nectuntur.

Cum nexus talium substantivorum non tam arctus est, sed externus et levior, prius nomen articulum ferre potest, posterioris definitio autem prius simul definitum minime reddit; pertinent huc:

a) si substantiva in genitivo posita materiam significant vel adjectivis similiora sunt, priori ut potiori articulus simul praefigitur, ut أَلصَّنَمُ ٱلذَّهَبِ idolum auri (i. e. illud aureum), أَلْبَيْتُ ٱلْحَرَامِ domus Haram.

b) si per substantivum adjectivum circumscribitur, in oratione indefinita illud articulum adsciscit, v. g. رَجُلٌ حَسَنُ ٱلْوَجْهِ vir pulcher faciei, eo magis in definita, cum priori jam e lege accedat, ut أَلرَّجُلُ ٱلْحَسَنُ ٱلْوَجْهِ vir ille, qui est pulcher faciei, quem modum sequuntur participia, quae rursum nexum tantum subeunt externum et praeprimis in plurali et duali articulum ante genitivum retinent, v. g. أَلضَّارِبُوا عَبْدٍ qui feriunt servum.

c) si plures genitivi se excipiunt, priori articulus praefigitur, ut: رَأْسُ ٱلصَّنَمِ ٱلذَّهَبِ caput idoli aurei.

Not. a. Nomina propria et pronomina semper nominibus articulo definitis paria habentur, v. g. بَيْتُ زَيْدٍ domus Zaidi.

Not. b. Saepe in arabismo substantiva identica status constructi nexum subeunt et quidem: α) nomen cum cognomine, v. g. سَعِيدُ كُرْزٍ Sa'id Pera dictus; β) nomina propria fluminum, urbium etc. cum nominibus suis appellativis, v. g. مَدِينَةُ بَغْدَادَ urbs Bagdad, نَهْرُ ٱلْأُرْدُنِّ Jordanes fluvius; γ) adjectiva per articulum determinata cum substantivis indeterminatis in locutionibus quibusdam, ut بَيْتُ ٱلْمُقَدَّسِ domus sancta i. e. Jerusalem, et in temporum vitae vulgaris definitionibus certis, v. g. عَامُ ٱلْأَوَّلِ annus prior, يَوْمُ ٱلْخَمِيسِ dies quintus (hebdomadis).

Not. c. Hujusmodi annexionem vocant Arabes annexionem interpretativam seu explicativam, cui addenda est annexio comparativa, si nomen cum nomine simile quid indicante comparationis causa nectitur per statum constructum, v. g. لُجَيْنُ ٱلْمَآءِ argentum aquae, i. e. aqua argento similis, seu argentea.

§ 69. De Accusativo.

Accusativus ponitur, ubicunque nomen per se positum subjungitur alteri et I. aut praedicatum proprius describit, II. aut abrupte ponitur.

I. Praedicatum, quod accusativum proprius efflagitat, plerumque est verbum.

Not. Quum et verba cum praepositionibus jungi possint, hac de re lexica sunt consulenda; hic nonnisi de gravioribus quibusdam verborum generibus est disserendum.

A. Verba, quae accusativum subjungunt, sunt

1. Verba transitiva et quidem:

a) Verba dicendi, respondendi accusativo rei non tantum, sed et personae junguntur, ut كَلَّمَهُ allocutus est eum, أَمَرَهَا jussit id.

b) Verba veniendi, v. g. جَآءَهُ حَبِيبُهُ venit ad eum amicus — quae junctura concinnior est, quam si talia verba construantur cum praepositionibus.

2. Verba intransitiva, quae notionem relativam tenent, accusativum subjungunt, v. g. سَآءَ سَبِيلًا malum est ad viam i. e. malum est factu; quo pertinent adjectiva relativa, v. g. حَسَنٌ وَجْهًا pulcher faciem (quae tamen frequentius genitivum sibi nectunt) et adjectiva elativa (Comparativus et Superlativus) in neutro pronunciata, v. g. أَشَدُّ حَمْوَةً fortius robore.

Not. Vocatur hic accusativus specificationis.

3. Verba quaedam duplicem Accusativum personae et rei vel geminum uniuscujusque subjungere possunt et quidem:

a) verba causalia a verbis relativis derivata (form. II. et IV.), v. g. أَعْلَمْتُ ٱلرَّجُلَ ٱلْأَمْرَ feci scire virum rem (i. e. nuntiavi viro rem);

b) verba, quae jam in forma prima hanc notionem involvunt, suntque verba implendi, saturandi, privandi, vetandi, dandi, induendi, vestiendi dein rogandi, dicendi, interrogandi, judicandi, nominandi, videndi, putandi et similia.

Not. a. Si tale verbum in passivum traducitur, accusativus personae transit in nominativum altero rei tamen manente, v. g. ٱلرَّجُلُ أُطْعِمَ لَحْمًا vir nutritus est pane, جُعِلَ مَلِكًا factus est rex.

Not. b. Verbum أَتَى venire in forma IV. passiva significat donari rem, qua in significatione cum accusativo jungitur, v. g. أُوتُوا ٱلْكِتَابَ donati sunt librum (i. e. acceperunt librum).

Not. c. Si forte verbum activum triplex objectum sibi subjungere potest, in passivo duplex manet, v. g. نُبِّيتُ عَمْرًا غَارِزًا رَأْسَهُ certior factus sum Amrum figentem esse caput suum.

4. Denique quodvis verbum sive activum, sive intransitivum, sive passivum infinitivo suae ipsius radicis circumscribi potest, ut notio verbi vaga ad certius quid restringatur, v. g. رَأَيْتُ رَأْيًا consului consulendo, ٱلْأَرْضُ رُجَّتْ رَجًّا terra tremuit tremitu; saepe aliud nomen ad emphasim augendam vel pronomen demonstrativum, vel genitivus vel adjectivum infinitivo apponitur, v. g. إِقْتَتَلُوا قِتَالًا شَدِيدًا pugnaverunt pugnam vehementem, ضَرَبَنِي ضَرْبَ ٱلْمَوْتِ percussit me ictu mortali. Ceterum substantivum similis notionis quoque subjungere licet, v. g. جَلَسَ قُعُودًا sedit sessionem, vel إِتَّقُوا ٱللّٰهَ حَقَّ تُقَيْتِهِ timete Deum jus timoris ejus (i. e. ut debet timeri).

Not. Hoc objectivum complementum ab Arabibus objectum absolutum seu principium appellatur.

B. Accusativus etiam remotius ad praedicatum pertinere potest, scilicet si nomen per se toti enunciationi subjungitur; sunt ergo notanda:

1. quaecunque praedicato proxime restringendo inserviunt, omnia in accusativo subjungi possunt et quidem:

a) substantivum abstractum rationem praedicati distinctius describens ei jungitur in accusativo sine articulo, v. g. مَاتَ جَوْعًا mortuus est fame; saepe tali modo consilium simul et finis, quo quis agat indicatur, v. g. قَامَ تَعْظِيمًا لَهُ surrexit honorando eum;

b) adjectivum seu substantivum personale in accusativo praedicato jungitur ad rationem seu modum describendum, quo res geritur, v. g. مَاتَ شَهِيدًا mortuus est martyr, vel إِدْخُلُوا ٱلْبَابَ سُجَّدًا intrate portam ado-

rantes. Eadem e causa verbo كَانَ „fuit" accusativus adjectivi vel substantivi jungitur, ut: زَيْدٌ كَانَ ضَعِيفًا Zaidus fuit debilis, إِنَّهُ كَانَ رَجُلًا حَكِيمًا certe fuit ille vir sapiens; rarissime praedicatum in nominativo manet, si كَانَ simpliciter „esse" significat, v. g. أَوَنَبِيٌّ كَانَ مُوسَى propheta ergo erat Moyses?

Not a. Hoc valet etiam ad omnia verba eandem notionem continentia, quae ideo ab Arabibus sorores verbi كَانَ vocantur, ut لَيْسَ non est, صَارَ factus est, أَصْبَحَ evasit mane, دَامَ duravit, بَاتَ pernoctavit, قَعَدَ sedit, عَادَ rediit et similia, v. g. رَجَعُوا كُفَّارًا redierunt (iterum facti sunt) infideles.

Not. b. Simplices negationes لَا et مَا, cum ad praedicatum totum negandum pertineant ideoque notionem verbi „esse" inferre videantur, accusativum praedicati sibi subjiciunt ea tamen conditione, ut praedicatum immediate subjectum sequatur, quin inter utrumque particula إِلَّا intercedat et quin post مَا collocetur إِنَّ, v. g. مَا زَيْدٌ قَائِمًا non est Zaidus stans; praeterea post لَا subjectum debet esse nomen appellativum idque indeterminatum; hinc لَا ٱللَّهُ كَاذِبٌ non كَاذِبًا Deus non est mendax.

c) nomina apposita, quae conditionem et statum praecedentis substantivi indicant, sine articulo in accusativo sequuntur, v. g. مَرُّوا بِهِ قَتِيلًا offenderunt eum caesum i. e. ut caesum.

Not. Bene exprimitur accus. hic in lingua vernacula per „ut, utpote", v. g. جَآءَ زَيْدٌ رَاكِبًا venit Zaidus equitans (ut equitans).

d) adjunctum spatii, quo res se extendat, nec non temporis et mensurae definitiones in accusativo apponuntur, ut: سَارَ أَرْبَعَةَ أَمْيَالٍ profectus est quatuor milliaria, ٱلْيَوْمَ hodie, عَاشَ مِائَةَ سَنَةٍ vixit centum annos;

imo et **locorum** nomina, quae significationis vagae sunt et frequentissimae, v. g. يَمِينًا a dextra, وَسْطَ medio etc.

Not. a. Substantiva vero certa vel certum locum notantia, ut دَارٌ domus, جَبَلٌ mons etc. semper cum praepositionibus construuntur.

Not. b. Accusativus et quidem singularis et sine articulo ponitur post numeralia ab 11. usque ad 99. et post particulas كَمْ et كَأَيٍّ vel كَأَيِّنْ quot? v. g. كَمْ دِرْهَمًا quot dirhemi? si ante كَمْ praepositio est, vis ejus in substantivum subjunctum extenditur, v. g. بِكَمْ رَجُلٍ in quot viris? Si vero كَمْ aliunde pendet, nomen sequens in genitivo singulari aut plurali ponitur, v. g. لَا أَدْرِى كَمْ رِجَالٍ (رَجُلٍ) قَتَلْتَ nescio, quot viros trucidaveris?

e) Nomina, si in adverbia transeunt, semper in accusativo apponuntur, ut جِدًّا vehementer, كَافَّةً omnino, nec non adjectiva adverbalia قَلِيلًا parum, كَثِيرًا multum, سَرِيعًا celeriter etc.

2. Ponitur accusativus post **particulas aliquot**, etiamsi e sensu nomen in nominativo elatum esset, et quidem:

a) semper post particulas إِنَّ en, ecce, أَنَّ notans ὅτι, quod et earundem compositas لَكِنَّ at, كَأَنَّ quasi et لِأَنَّ quia, nam his omnibus vis videndi, commonstrandi inest, debet autem particulas has nomen immediate sequi nulla alia voce interposita, v. g. إِنَّ ٱللَّهَ عَلَى كُلِّ شَيٍّ قَدِيرٌ ecce Deus super omnes res potens (i. e. omnipotens.).

Not. Post إِنَّ saepe لَ particula confirmationis causa accusativo praedicati praeponitur, ut إِنَّ ٱللَّهَ لَغَفُورٌ ecce Deus certe condonans.

b) post copulam وَ, si loco مَعَ notionem consortii „cum“ exprimit, v. g. أُسْكُنْ أَنْتَ وَزَوْجَكَ ٱلْجَنَّةَ habita tu cum

uxore tua paradisum; و hoc appellatur Wau concomitantiae seu simultaneitatis;

c) post إِلَّا „nisi, praeter" praecedente sententia affirmativa, ut سَجَدَ ٱلْمَلَائِكَةُ كُلُّهُمْ إِلَّا إِبْلِيسَ adoraverunt omnes angeli praeter diabolum; praecedente vero sententia negativa ponitur nomen post إِلَّا in casu consueto, v. g. مَا نَصَرَنِى إِلَّا زَيْدٌ nemo me adjuvit, nisi Zaidus;

d) post particulam negandi لَا subjectum immediate sequens, quod est indefinitum, in accusativo sine nunnatione ponitur, qui totus a negatione pendet, v. g. لَا رَجُلَ nullus vir, لَا إِلٰهَ إِلَّا ٱللّٰهُ nullus Deus praeter Deum. Adjectivum accedens aut cum nunnatione effertur, sive in accusativo sive in nominativo, aut plane substantivum sequitur, v. g. لَا رَجُلَ نَائِمَ فِي ٱلدَّارِ (vel نَائِمٌ vel نَائِمًا) nullus homo habitat in domo. Accedentibus ad accusativum talem definitionibus nunnatio redit, v. g. لَا خَيْرًا مِنْ زَيْدٍ عِنْدَنَا nullus melior quam Zaidus apud nos.

II. Accusativus saepe ponitur, quando nomen abrupte interjectionis vi prolatum Vocativi vices gerit:

1. Non raro nomina in accusativo posita breviter integram enunciationem, quae animo subest, supplent, v. g. سَمْعًا وَطَاعَةً obsequium et obedientiam i. e. totus obsequar; huc pertinent exclamandi formulae, quibus benedicitur vel mala imprecantur vel laudes funduntur, v. g. سَقْيًا لَهُ irrigationem i. e. salutem illi! تَعْسًا لَكَ interitum tibi!

2. Duae interjectionis formam ferentes particulae subjectum in accusativo sibi subjungunt eaeque: لَيْتَ utinam et لَعَلَّ seu عَلَّ forsitan, v. g.

لَيْتَ زَيْدًا حَاضِمٌ utinam Zaidus praesens sit!
لَعَلَّ ٱلسَّاعَةَ قَرِيبٌ an forte hora propinqua est?

§ 70. De Vocativo.

1. Interjectionem يَا articulus non sequitur, cum appellari nequit nisi is, qui per se vocanti certus constat, excepto unico nomine يَا ٱللّٰهُ o Deus! Quodsi articulum adjungere placet, أَيُّهَا (quicunque hic sit) vel هَذَا hic interponendum est, quo facto nomen semper in nominativo subjungitur, v. g. يَا هَذَا ٱلرَّجُلُ o hic homo! potest tamen et يَا omitti, nisi ubi nomen appellativum singulum foret obscurum.

Not. In Dei nomine abjecta particula يَا compensatur per م geminatum cum Fatha in fine, ut اَللّٰهُمَّ summe Deus!

2. Si nomen in appositione vel adjectivum sequitur, nomen prius in nominativo effertur, appositio autem in nominativo aut in accusativo sequi potest, v. g. يَا مُحَمَّدُ ٱلنَّبِيُّ (ٱلنَّبِيَّ) o Muhammede propheta! nomen appositum accedente genitivo semper in accusativo ponitur, v. g. يَا إِبْرَاهِيمُ خَلِيلَ ٱللّٰهِ o Abraham amice Dei!

Not. a. Cum substantivum in nominativo positum in fine semper brevissime (sine nunnatione) pronunciatur, vocalis suffixi primae personae sing. corripitur, v. g. رَبِّ domine mi! يَا قَوْمِ o popule mi! in nominibus أَبٌ pater et أُمٌّ mater suffixum ى in ت per Kesra motum mutatur, ut: يَا أَبَاتِ o pater mi! et quaedam nomina, praecipue propria, integram syllabam in fine abjiciunt, v. g. يَا مَنْصُ pro يَا مَنْصُورُ o Mansur! يَا مَرْوَ pro مَرْوَانُ o Marvan!

Not. b. Nomen in fine sermonis prorsus solitarie positum etiam efferri potest vocali in fine producta per âh, v. g. يَا غُلَامَا vel غُلَامَاهْ o puer! quod et fit post particulam lamentandi وَا, v. g. وَا شَبَابَاهْ heu

juvenis! Nonnunquam in interrogationibus abruptis ih in fine nunnatione manente subjungitur, v. g. أَزَيْدُنِيهْ quid? Zaidusne?

Not. c. Si إِبْنٌ et إِبْنَةٌ inter duo nomina collocantur, in accusativo ponuntur, praecedente nomine proprio in nominativo vel accusativo, v. g. يَا زَيْدُ (زَيْدَ) بْنَ عَمْرٍو, praecedens vero nomen appellativum semper in nominativo effertur, v. g. يَا رَجُلُ إِبْنَ زَيْدٍ o vir, fili Zaidi!

Not. d. Gravis personae allocutio indolem describens notatur por formam فَعَالِ v. g. يَا فَجَارِ o scelus i. e. o scelerate!

3. Non nomen tantum, sed et tota enuuciatio particulae يَا subjungi potest; si subjectum est pronomen, cum praepositione لِ praedicato in accusativo posito praeponitur, v. g. يَا لَهَا رَوْضَةً o qualem hortum! saepius et praedicato praepositio مِنْ praefigitur, v. g. يَا لَهَا مِنْ رَوْضَةٍ.

Not. Admiratio quoque emphatice praemissa praepositione لِ et particula يَا exprimitur, v. g. يَا لِلْعَجَبِ o rem valde miram!

§ 71. De Numeralibus.

A. Cardinalia.

1. Numeralia cardinalia a 3 usque 10 jure substantivorum per statum constructum junguntur cum nominibus in plurali positis; nomen rei numeratae semper nunnationem servat, v. g. ثَلَاثَةُ رِجَالٍ tres viri; rarius numeralia haec adjectivorum instar postponuntur, v. g. بَنُونَ ثَلَاثَةٌ tres filii.

Not. a. إِثْنَانِ et إِثْنَتَانِ adjectivi loco postponuntur; si vero rei numeratae praeponuntur, haec in genitivo singulari sequitur, v. g. إِثْنَتَا حَنْظَلٍ duo (grana) colocynthidis; nonnunquam emphatice duali apponuntur.

Not. b. Numeralia et suffixis pluralibus annecti possunt, v. g. ثَلَاثُنَا tres nos.

Not. c. Si collectivum numeralia sequitur ita, ut plures e copia hac intelligantur, cum praepositione مِنْ jungitur, v. g. تِسْعَةٌ مِنَ ٱلرَّهْطِ novem e tribu; vel brevius per statum constructum nectitu تِسْعَةُ رَهْطٍ.

2. Reliqua numeralia a 11—99 rem numeratam semper laxius in accusativo sine articulo sibi adjungunt et quidem in singulari, v. g. عِشْرُونَ رَجُلًا viginti viri, raro in plurali.

3. Numerus centenarius et ultra rem numeratam per statum constructum sibi subjungit in singulari, v. g. مِائَتَا حِمَارٍ ducenti asini.

Not. a. Numeralia a 20—90 saepe nomen possessoris in genitivo sibi subjungunt omissa ast subintellecta re numerata certa, v. g. عِشْرُو زَيْدٍ viginti (sc. cameli) Zaidi; numeralia a 11—19 in tali structura aut manent indeclinabilia, aut prius eorum casum exprimit sequenti per statum const. junctum, hinc: خَمْسَةَ عَشَرَ زَيْدٍ vel خَمْسَةَ عَشَرِ زَيْدٍ quindecim (cameli) Zaidi.

Not. b. Post numerum e multis singulis et diversis numeralibus per وَ copulatis compositum res numerata in fine cum ultima voce numerali conspirat, aut post singulas numeri partes repetitur praeprimis numerale أَلْف post singulas numeri partes iteratur.

4. Articulus numeralibus, si eo opus est, ubique apponitur, sive ut res numerata jam nominata sit sive nota et quidem:

a) numeralia a 3—10 articulum sequenti nomini in genitivo affigunt, v. g. ثَلَاثَةُ ٱلرِّجَالِ; sed usitatius est, articulum numerali ipsi ab initio praemittere manente statu constructo; imo saepius articulus genitivo quoque praefixus manet, v. g. اَلثَّلَاثَةُ ٱلرِّجَالِ; nonnunquam numerale adjectivi instar postponitur, ut اَلرِّجَالُ ٱلثَّلَاثَةُ.

Not. Eadem prorsus est ratio numeralium مِائَةٌ et أَلْفٌ eorumque compositorum.

b) in reliquis numeralibus, quorum nexus est laxior, articulus semper praeponitur et repetitur, quoties numeralia per وَ copulantur, v. g. أَلسَّبْعَةُ وَٱلسَّبْعُونَ جَمَلًا 77 cameli; in numeralibus 11—19 sufficit articulus priori praemissus, v. g. أَلثَّلَاثَةَ عَشَرَ جَمَلًا tredecim cameli.

c) Adjectiva substantivo succedentia necessario articulum assumunt et sequuntur casum et numerum numeralium praecedentium, v. g. أَلسَّبْعُونَ رَجُلًا ٱلْكِبَارُ 70 viri illi magni; in locutione indefinita adjectivum semper substantivi casum sequitur, v. g. عِشْرُونَ دِينَارًا نَاصِرِيًّا viginti denarii Nazareni.

B. Ordinalia.

1) Ordinalia statum constructum inire possunt vario modo, a) cum unus ex toto ejusdem genere insignitur, ut: خَامِسَ عَشَرِهِمْ quintus decimus eorum, b) ante nomen mensis et diei in computatione, v. g. هُوَ حَادِي عِشْرِينَ تِشْرِى hic est vigesimus primus (dies mensis) Tischri.

Not. Articulus numeralibus ab 11.—19. semel praefigitur, uti أَلثَّالِثَ عَشَرَ decimus tertius, in ceteris per وَ junctis repetitur, v. g. أَلثَّالِثُ وَٱلْعِشْرُونَ vigesimus tertius.

2. Ordinale ut praedicatum in statu constructo eidem numero cardinali indefinito praeponitur, ut quotusquisque in numero quodam sit notetur, v. g. أَللّٰهُ ثَالِثُ ثَلَاثَةٍ Deus est tertius trium (seu trinus).

Nót. a. Hoc valet ad numeralia usque ad 19. tantum, quia a numeralibus 20—90 ordinalia non derivantur.

Not. b. Ordinale iu statu coustructo cardinalibus (exceptis ab 11—19) uuo gradu minoribus praeponitur, v. g. سَابِعُ سِتَّةٍ ut notet eum, qui novus ad sex accedit, septenarium uumerum complens.

3. In temporis computatione praemisso substantivo sequuntur cardinalia ordinalium loco in genitivo, v. g. فِى سَنَةِ ثَمَانٍ وَثَمَانِينَ وَثَمَانِ مِائَةٍ لِلْإِسْكَنْدَرِ anno 888 Alexandri; infra centenarium libenter et ordinalia ponuntur, nisi ob computationem in aera solita usus cardinalium praeferendus sit.

Not. Quoad computatiouem dierum mensis suut duae rationes distinguendae: a) dies a primo ad extremum usque una serie enumerantur, v. g. يَوْمَ عِشْرِينَ مِنْ شَهْرِ رَجَبٍ die vigesima mensis Raǵeb; b) antiquior autem est e noctibus mensis cujusvis computatio instituta, quum meusis lunaris Arabibus usitati rationi est aptior, v. g. لِلَيْلَةٍ خَلَتْ مِنْ رَّجَبٍ i. e. ad noctem, quae transiit e Raǵeb seu una nocte ejus praeterlapsa ot sic usque ad 14. diem; de 15. die ut mense medio, quo luna plena apparet, dicitur: فِى ٱلنِّصْفِ مِنْ رَّجَبٍ, ad quem medium mensis terminum in reliquorum dierum enumeratione ita respicitur, ut noctes nondum praeterlapsae ab ultima ascendendo numerentur; si v. g. mensis constat 30 diebus, 16. dies notatur لِأَرْبَعَ عَشْرَةَ بَقِيَتْ quatuordecim noctibus restantibus; si contra mensis 29 dies enumerat, uua semper nox ab his subtrahenda est uti: لِثَلَاثَ عَشْرَةَ بَقِيَتْ tredecim noctibus restantibus i. e. de die sexto decimo.

IV. CAPUT.

De Syntaxi Praepositionum.

§ 72.

Praepositiones primitus loci rationes varias denotant, transferri autem possunt ad temporis, causae aliasque notiones altiores.

Sunt autem A. Simplices, aut B. Compositae.

A. Praepositiones simplices.

1. Ad notionem motus recedentis exprimendam inserviunt مِنْ ex et عَنْ ab.

a) مِنْ motum denotat

α) e re seu puncto certo procedentem, hinc jungitur verbis liberandi, servandi, abhorrendi, prohibendi, fugiendi, metuendi etc.;

β) ad tempus translatum rem e puncto temporis quodam inchoari notat, ut مِنَ ٱلْغَدِ e mane i. e. cras;

γ) notat causam, unde res oritur, de personis vero adhibetur مِنْ أَجْلِ e causa;

δ) ponit etiam distantiam a centro, ut latus unde res centro quasi immineat, describatur, v. g. مِنْ قَبْلُ antea;

ε) designat distantiam seu discrimen duarum rerum sibi oppositarum, v. g. أَللّٰهُ يَعْلَمُ ٱلْمُفْسِدَ مِنَ ٱلْمُفْلِحِ Deus novit (discernit) impium a pio; hinc usus ejus perpetuus ad Comparativum significandum, ut: أَنْتَ أَفْضَلُ مِنِّي tu es praestantior, quam ego;

ζ) indicat denique, unde res facta vel composita sit, hinc partem rei incertam, v. g. مِنْهُمْ مُسْلِمُونَ ex eis aliqui sunt Moslemi; مِنْ قَائِلٍ est, qui dicit.

Not. a. مِنْ saepe post مَا totum indicat, unde ad singula seu peculiaria transitur, ut مَا ذَهَبَ مِنَ ٱلْمَالِ quod erogatum est pecuniae.

Not. b. مِنْ post negativum مَا positum denotat „ne ullus quidem", v. g. مَا لَهُمْ مِنْ نَاصِرِينَ non sunt eis ulli adjutores.

b) عَنْ praepositio denotat

α) motum a latere rei procedentem, v. g. سَافِرْ عَنِ ٱلْبَلَدِ proficiscere ab urbe; hinc usus ejus de traditionibus, argumentis etc. correspondendo latino „secundum";

β) jungitur verbis fugiendi, recedendi, avertendi, detegendi, aperiendi, nunciandi, interrogandi, respondendi, negligendi, obliviscendi, satisfaciendi et similibus;

γ) ad tempus translatum idem significat quod بَعْدَ „post."

2. Notioni motus ad locum inserviunt:

a) إِلَى notat

α) contrarium praepositionis مِنْ sc. ad, versus, v. g. جَآءَ إِلَى ٱلْبَلَدِ venit ad urbem;

β) notat rem ad aliam accedentem seu augmentum, ut verti possit „una cum";

γ) nonnunquam et ad tempus transfertur, v. g. إِلَى يَوْمِ ٱلْقِيَمَةِ usque (in) diem resurrectionis;

δ) imo transfertur ad animi inclinationem pro simplici dativo, ut أَحَبُّ إِلَيَّ carior mihi.

b) حَتَّى rem, ad quam usque motus venit, tangi et includi notat, v. g. أَكَلْتُ ٱلسَّمَكَةَ حَتَّى رَأْسَهَا comedi piscem ad caput ejus usque (capite sc. excluso) hinc nonnunquam adverbii instar adhibetur notans „adeo".

c) لِ ab إِلَى differt, ut „ad" notet sensu magis ideali; hinc nostro dativo significando inservit, v. g. وَهَبَ لَهُ dedit ei; et quidem dativo possessionis, v. g. نَحْنُ لِلّٰهِ nos sumus Deo (Dei); nonnunquam auctorem alicujus rei indicat, ut: أَنْشَدَ لِبَعْضِهِمْ recitabat versus cujusdam eorum; vel finem actionis praeprimis, si infinitivis seu substantivis abstractis praeponitur, ut: قَامَ لِمُعَاوَنَتِهِ surrexit ad auxi-

lium ei ferendum. Verbis dicendi appositum rem, de qua agitur, notare potest et denique rem, ad quam actio fit, v. g. عَجِبْتُ لِقَوْلِهِ stupui ob ejus dictum.

Not. لَ cum Fatha in acclamatione post يَا dicitur ad instigandum hominem, ut auxilium ferat, v. g. يَا لَزَيْدٍ o Zaide opem fer! etiam de rebus, ut: يَا لَلْعَجَبِ o mirum illud!

3. Quietem in loco indicant:

a) بِ „in" et quidem

α) in sensu magis ideali, raro in locali et temporali;

β) rem alteri imminentem eique quasi inhaerentem notat; hinc construitur cum verbis adhaerendi, jungendi, incipiendi, confugendi, praetereundi, consedendi, jurandi, ut: أَقْسَمْتُ بِٱللّٰهِ juro per Deum;

γ) deinde describit rem, quae aliam comitatur, ut ei juncta esse et inhaerere videatur et quidem: comitatum physicum, ut سَارَ بِأَهْلِهِ profectus est cum populo suo; hinc multa verba intransitiva, quae motum significant, cum بِ ita ponuntur, ut res describatur, quam quis moveat, v. g. أَتَى بِ venire cum re i. e. afferre rem; verba mittendi libenter cum بِ construuntur, ut: بَعَثَ بِٱلْمَالِ مَعَهُمْ misit eos cum argento. Similiter بِ adhibetur de instrumento quovis actionem comitante, v. g. رَمَاهُ بِحَجَرٍ jecit eum lapide.

Not. a. Huc spectat بِ pretii, quo dato rem acquirimus; hinc componitur verbis emendi, rependendi, substituendi; et بِمَا significat, pro eo quod = quia, similiter أَلنَّفْسُ بِٱلنَّفْسِ vita pro vita!

Not. b. بِ post إِذَا „ecce" emphatice praeponitur substantivo contemplando, v. g. إِذَا بِصُرَّةٍ فِضَّةٍ ecce crumenam pecuniae!

b) فِي denotat quietem

α) in spatio et tempore, ut فِي ٱلدَّارِ in domo, فِي ٱلسَّنَةِ anno;

β) transfertur dein ad id, in quo animus cogitabundus versatur („de" Latinorum), ut تَفَكَّرَ فِي شَيٍّ meditari de aliqua re; indicat peculiariter argumentum vel caput libri ut: صَنَّفَ كِتَابًا فِي ٱلْأَخْلَاقِ concepit librum de moribus;

γ) singulariter et de proportione adhibetur, qua res haec cum illa confertur, ut: مَا مَتَاعُ ٱلدُّنْيَا فِي ٱلْآخِرَةِ إِلَّا قَلِيلٌ non est fructus hujus vitae collatus cum vita futura nisi parvus; nec non in sensu technico et multiplicativo.

c) مَعَ „cum" notat personam seu rem juris sui aliam comitantem, ut سَارَ مَعِي profectus est mecum; saepe denotat: non obstante re, vel licet, v. g. قُتِلَ مَعَ شُجَاعَتِهِ interfectus est non obstante virtute ejus bellica.

d) عِنْدَ „apud" de loco et tempore, significat et possessionem (penes), ut: مَا عِنْدِي دِينَارٌ non est penes me (mihi) denarius; عِنْدِي apud me denotare potest et „in mente mea" i. e. scio vel e mea sententia.

e) بَيْنَ „inter" (a بَيْنٌ intervallum, separatio) construitur cum plurali aut collectivo; propria est verbis jungendi et dirimendi, aequandi res diversas. Si alterum nomen suffixum est, praepositio haec cum copula وَ repetitur, v. g. بَيْنَكُمْ وَبَيْنَ أَبِيكُمْ inter vos et patrem vestrum, vel بَيْنِي وَبَيْنَهُ inter me et illum. مَا بَيْنَ vel بَيْنَ post rem integram nominatam partes ejus notat, uti: ٱلْقَوْمُ بَيْنَ قَتِيلٍ وَأَسِيرٍ populus est partim occisus, partim captus.

Not. Ad spatium inter duo loca vel tempora totum definiendum posteriori praefigitur إِلَى versus, ut: بَيْنَ بُصْرَةَ إِلَى مَكَّةَ inter Bosram ad Meccam usque.

f) عَلَى „super" venit

α) in sensu locali proximo, quo rem alii superimpositam denotat, hinc de vestimento et ornatu, de re obscura quasi alteri superjecta, de re gravi et molesta, quae personae incumbit, v. g. لِي عَلَيْكَ مِائَةُ دِرْهَمٍ mihi sunt super te (i. e. tu mihi debes) centum drachmae;

β) denotat gradum, statum, negotium, religionem, in quibus quis versatur permanenter, ut: اَلنَّاسُ عَلَى دِينِ مُلُوكِهِمْ homines sunt in religione (i. e. sequuntur religionem) regum suorum. In comparatione عَلَى idem notat quod „magis quam" ut: يَسْتَحِبُّونَ ٱلْحَيَوٰةَ ٱلدُّنْيَا عَلَى ٱلْآخِرَةِ amant vitam praesentem (super) magis quam futuram;

γ) etiam motum exprimere potest et quidem hostilem = „contra", ut: خَرَجَ عَلَيْهِ exiit contra eum, hinc verbis irascendi, irritandi et similibus subjungitur;

δ) in aliis locutionibus designat tutelam et curam, qua minori prospicitur, hinc أَشَارَ عَلَى consulere alicui;

ε) etiam normam indicat, ad quam aliquid fit, ut: عَلَى مَا حَكَاهُ secundum id, quod narravit; cum أَنْ conjunctum notat: ea conditione, ut;

ζ) porro spem in rem vel personam futuram conversam indicare potest: أَقَامَ عَلَيْهِمْ substitit exspectans eos.

Not. عَلَى saepe adhibetur in locutionibus concisis interjectionis modo prolatis, ut: عَلَيْكَ زَيْدًا in te (suscipe) Zaidum; vel عَلَيَّ بِهِ mihi cum eo i. e. adducite eum, ut cum eo rem agam.

g) دُونَ (a دَانَ inferior fuit) = παρά significat

α infra vel prope ab i. e. non multum distans a re; sensu translato numerum seu spatium minus notat, ut: دُونَ رَمْيَةِ حَجَرٍ infra jactum lapidis i. e. minus, quam jactus lapidis; porro

β) exclusivum denotat, praeprimis praemissa praepositione مِنْ, ut: مَا لَكُمْ مِنْ دُونِ ٱللّٰهِ مِنْ وَلِيٍّ وَلَا نَصِيرٍ non est vobis praeter Deum ullus patronus et adjutor; hinc cum أَنْ conjunctum „praeterquam quod, nisi quod" designat;

γ) etiam rem propiorem nec non impedimentum rei aut obstaculum interpositum describere potest aut praesidium protensum, ut: لَيْسَ دُونَهُمْ حِجَابٌ non est prae eis velum, vel قَاتَلَ دُونَهُمْ pugnavit pro eis (eos defendens).

Not. دُونَ ponitur interjectionis vi, v. g. دُونَكُمْ prae vobis! i. e. cavete vobis!

h) وَ copula saepius jurantis est et praepositionis vi genitivum sibi subjicit, v. g. وَٱللّٰهِ per Deum! (proprie et Deus sit mihi testis); usurpatur autem, si illam sequitur nomen substantivum omisso jurandi verbo; ante suffixum tamen et verbo jurandi posito adhibetur بِ. Nonnunquam adhuc فَ praefigitur, ut فَوَٱللّٰهِ ergo per Deum!

Not. Particula jurandi تَ nonnisi nomini أَللّٰهُ praeponitur, ut تَٱللّٰهِ per Deum!

i) كَ a multis grammaticis praepositionibus non accensetur, quum sit nomen in praefixum detritum, quod nomini praepositum genitivum sibi subjungit. Plerumque voci مِثْلٌ praefigitur, raro pronominibus separatis, ut كَأَنَا ut ego,

aut suffixis, v. g. كَي ut ego, saepius tamen intercedente vocula إِيَّا cum suffixis nectitur, v. g. كَإِيَّاكَ ut tu.

B. Praepositiones compositae.

Praepositiones compositae in lingua antiqua rariores, frequentiores autem in lingua recentiori sunt; saepissime مِنْ praeponitur, ut:

1) مِنْ بَيْنِ frequenter simplici بَيْنَ par est; 2) مِنْ فَوْقِ supra et مِنْ تَحْتِ infra latus tantum, e quo res sita cogitanda sit, denotat; 3) مِنْ قَبْلِ ante, مِنْ بَعْدِ post; 4) rarissime إِلَى praeponitur, v. g. إِلَى نَحْوِ versus, إِلَى بَعْدِ usque ad.

SECTIO SECUNDA.

De enunciationum connexu.

I. De enunciatione simplice.

§ 73. A. De subjecto et praedicato eorumque complementis.

1. Quaevis enunciatio perfecta subjecto et praedicato constat. Subjectum est aut segregatum i. e. nomen in nominativo vel integra enunciatio subjecti vices gerens aut in verbi personis latet; praedicatum autem per nomen vel verbum exprimitur.

Not. Enunciatio cum subjecto (sive nomine, sive pronomine) incipiens appellatur enunciatio **nominalis**, v. g. زَيْدٌ عَالِمٌ, enunciatio autem, cujus praedicatum est verbum subjecto praecedens aut cujus praedicatum et subjectum verbo exprimitur, enunciatio **verbalis** audit, v. g. مَاتَ عُمَرُ mortuus est Omar vel قَتَلْتُ ego occidi.

2. Ad subjectum et praedicatum jungendum copula seu verbo abstracto (esse) opus non est, cum nexus e notionum compositarum vi et orationis ambitu sonique complexu satis

apparet; nonnunquam autem inter duo vocabula copulae vicem gerunt:

a) pronomen tertiae personae (vide § 53. A. 1);

b) verbum substantivum كَانَ, quo utuntur tantum, ubi temporis modique distinctior denotatio est neccessaria et quidem كَانَ pro perfecto et in Corano pro praesente, يَكُونُ pro imperfecto seu futuro et كُنْ pro jussivo et imperativo ea lege, ut praedicatum in accusativo verbo substantivo subjungatur (conf. § 69. B. 1. b).

3. Hae simplices enunciationis partes varie extendi et dilatari possunt et quidem: a) aut circumscriptione subjecti et praedicati interna seu subjunctione (per statum constructum, accusativum et praepositiones cum genitivo) aut b) externa seu appositione. Subjunctione e praecedentibus jam dilucidata appositio externa explicanda venit, qua vocabulo potiori (nomini praeprimis) similia arcte annectuntur seu a lege universali justo ordine postponuntur.

α) Nomini apponuntur:

Adjectiva maxime et pronomina; adjectiva, quae genus, numerum, casum et determinationem nominis sequuntur eidem postponuntur, ut: ٱلْكَوْكَبُ ٱلنَّيِّرُ ٱلْأَحْمَرُ stella fulgens rubra; ceterum adjectivo substitui potest nomen eodem nexu ponendum, v. g. جَارِيَةٌ بِكْرٌ puella virgo. Demonstrativa e lege continua nomini simplici definito praeponuntur, v. g. هَذَا ٱلْمَلِكُ οὗτος ὁ βασιλεύς; substantivo autem cum suffixo vel cum genitivo munito postponuntur (cf. § 54).

β) Verbo iterum verbum apponi potest, et quidem imperfectum participii praesentis loco verbo finito, ut أَجَابَهُ يَقُولُ respondit ei dicens, aut eadem forma verbi finiti ita continuatur, ut alterum verbum prius explicet, v. g.

فَأَرْسَلَ أَعْلَمَ أَبَاهُ tum misit nuntiavit (= mittens nuntiavit) patri suo.

γ) Enunciationi denique laxius apponuntur vocabula, quae rationes et alias circumstantias describunt; haec complementa aut praepositione introducuntur aut brevius accusativo subjunguntur, huc v. g. spectant adverbia nomini vel verbo postponenda, ut: كَثِيرٌ جِدًّا valde magnus vel عَجِبْتُ جِدًّا miratus sum valde.

§ 74. B. De ordine vocabulorum in enunciatione.

1. Seriei vocum variandae facultas huic linguae minor est, quam graecae aliisque. Constans est ordo genitivi e statu constructo dependentis nec non appositionis adjectivorum, quae semper nominibus postponenda sunt; objectum porro e lege verbum sequitur. In oratione quieta praedicatum subjecto praeponi solet, v. g. خَلَقَ ٱللَّهُ ٱلسَّمْوَاتِ وَٱلْأَرْضَ creavit Deus coelum et terram.

2. Subjectum si cum vi quadam effertur, verbo etiam praeponi potest, nisi ubi sermo ab initio fundamento nititur, quo in casu quietus vocum ordo servatur. Talia fundamenta sunt: a) particulae interrogativae (أ, هَلْ), omnes negativae, particulae temporis et conditionis; b) in enunciatione relativa continuo praedicatum subjecto praeponitur, v. g. زَيْدٌ ٱلَّذِي مَاتَ أَبُوهُ Zaidus, cujus pater mortuus est; c) objecto ob emphasim praeposito verbum et subjectum deinceps sese excipiunt, v. g. فَرِيقًا هَدَى ٱللَّهُ partem direxit Deus.

Not. Si praedicatum nomine continetur, eadem lex valet, nisi ut ambiguitatis evitandae causa subjectum praemittendum sit, v. g. ٱللَّهُ رَبُّنَا Deus est dominus noster; eodem modo subjectum determinatum praedicato indefinito praemittitur, v. g. ٱللَّهُ أَعْلَمُ deus est scientissimus.

3. Quae deinde ad partes praecipuas accedunt notiones variae, eas lingua mediae enunciationi inserere amat, quo arctius tota sermonis compages cohaereat; sic temporis definitio, adverbia, nomina praepositionibus aucta verbum inter et subjectum ponuntur, imo objectum non raro verbo et subjecto interponitur, praeprimis si sit levius, v. g. إِفْتَتَحَ أَرْضَ مِصْرَ أَصْحَابُ رَسُولِ ٱللّٰهِ expugnaverunt terram Aegypti comites legati Dei.

4. Sed hic ordo etiam tolli potest et quidem a) praedicatum subjecto postponitur, si **status** depingendus est, ita ut ordine inverso notio **singularis** simul describatur, similiter post هَا ecce, ut: هَا أَنَا مَيِّتٌ en ego moriens sum; b) invertitur dein ordo ob **vim**, qua una vox prae ceteris insignienda videtur, nomen autem, quod in consueta oratione postponendum fuisset, si extra juncturam praeponitur, nexus ejus in enunciationis tenore justo loco pronomine suffixo est supplendus; nomen praemissum fere semper in **nominativo** ponitur, qui, quoniam extra nexum positus est, **absolutus** vocatur, v. g. أَللّٰهُ رَسُولُهُ Deus legatus ejus i. e. Dei legatus vel مُوسَى ٱصْطَفَيْنَاهُ Mosem elegimus. Emphasis causa tali nominativo absoluto praeponitur particula أَمَّا quod attinet, aut إِذَا ecce, quam in apodosi sequitur فَ.

Not. Hinc nomen in quocunque casu positum absolute in nominativo praemitti potest, cum suffixum semper (sicut in relativis pronominibus cf. § 55. 3.) ejus casum suppleat, v. g. مُحَمَّدٌ مَا رَأَيْتُهُ Mohammedem non vidi, أَلْمَسِيحُ لَهُ طَبِيعَتَانِ Christo sunt duae naturae (Christum quod attinet, sunt ei duae naturae.)

§ 75. C. De generis numerique in enunciatione concordia.

Secundum legem universalem verba, adjectiva et pronomina substantivi sui genus numerumque sequuntur; sed

hac in re lingua arabica gaudet magna libertate nec tamen temere et promiscue licita; nam A haec aut a collocatione vocabulorum, B aut a notionis vi interna dependet.

ad A.

1. Praedicatum subjecto praemissum quasi absolute seu impersonaliter in singulari masculino ponitur, quia subjectum menti nondum obversatur, v. g. قَامَ ٱلرِّجَالُ surrexerunt viri (bene in vernacula: es erhoben sich die Männer) et quidem:

a) si praedicatum uno pluribusve vocabulis interjectis a subjecto distat;

b) si subjectum masculinum in plurali vel duali aut collectivum sequitur;

c) ante femininum formale, imo ante femininum personale, si vox aliqua intercedit, v. g. إِلَّا ut: مَا حَضَرَ إِلَّا ٱمْرَأَةٌ non erat praesens, nisi femina.

Not. Praecedente subjecto praedicatum ab hac licentia alienum ad generis numerique ejus leges est adstrictum; si verbum cum كَانَ est compositum, hoc impersonaliter quidem praecedit, verbum alterum autem leges universales sequitur, v. g. كَانَ ٱلْمُسْلِمُونَ يَقُولُونَ solebant Moslemi dicere.

2. Pluralia fracta, cum eorum notio ex antecedentibus (§ 43. 2. b) collectivo abstracto seu feminino generi respondeat, cum singulari feminino construuntur, sive verba accedant sive adjectiva aut pronomina sint apposita, cui legi et dualis non adversatur, ast non promiscue, sed: pluralia fracta et sana eaque inhumana, quae non-rationalia seu inanimata significant, ubi ergo de rebus et bestiis sermo est, v. g. ٱلْحَمِيرُ تَجْرِى مَعَ ٱلْخَيْلِ asini currunt certatim cum equis, تِلْكَ حُدُودُ ٱللَّهِ hae sunt regulae Dei. Imo et pluralia fracta (non autem sana) humana (i. e. personas notantia), v. g.

أَتَتِ ٱلرُّسُلُ venerunt legati, أَوْلَادٌ كَثِيرَةٌ liberi multi, قَالَتِ ٱلرِّجْلَانِ dixerunt pedes (in fabula).

Not. a. Nomini إِبْنٌ et similibus, quorum pluralis sanus formatus quippe a non servata forma singulari pluralem fractum aequat, adjungitur etiam singulare femin. praedicati, ut: قَالَتْ بَنُوا إِسْرَائِيلَ dixerunt filii Israel.

Not. b. E contra cum plurali fracto inhumano verbum et adjectivum etiam in genere et numero possunt convenire, v. g. جِبَالٌ رَاسِيَاتٌ montes firmi, ut in fabulis solet fieri, ubi bestiae seu res loquentes inducuntur.

ad B. Aberrationes e lege consueta multae a notionis vi interna seu a sensu singulari dependent:

a) femininum masculino jungere nefas est, potest vero praecipue in fabulis illud masculino sensu construi;

b) huc spectant numerorum commutationes:

α) Si nomina ex origine simplicia sensu tamen collectivo cum plurali ponuntur, uti: قَوْمٌ populus, يَهُودُ Judæi, غَنَمٌ oves, فَرِيقٌ pars, كُلٌّ universitas, ٱلْعَرَبُ Arabes, v. g. كُلٌّ لَهُ قَانِتُونَ omnes ei obsequentes.

Not. a. Liceat tamen his et verbum in singulari feminino praeponere, v. g. قَالَتْ يَهُودُ dicunt Judaei; imo et cum plurali femin. junguntur, si forte personas singulas magis distinguere placet.

Not. b. Similiter adjectiva formae فَعِيلٌ et فَعُولٌ cum plurali vel cum femininis junguntur collectivorum instar, v. g. رِبِّيُّونَ كَثِيرٌ myriades multae, مُدَّةٌ كَثِيرٌ spatium multum.

β) In sententiis generalibus pluralis facile in singularem, et vice versa mutatur, praeprimis in Corano, v. g. مَنْ تَبِعَ هُدَايَ فَلَا خَوْفٌ عَلَيْهِمْ quicunque institutionem meam sequitur, iis non instabit timor.

γ) Verbum, quod ad plura subjecta refertur, aut postponitur in plurali (seu duali ad numerum binum), aut praeponitur in singulari, sequitur autem numerum et casum immediate subsequentis subjecti, v. g. تَكَلَّمَتْ مَرْيَمُ وَهَرُونَ فِي مُوسَى loquebantur Mirjam et Aaron contra Mosem.

c) Nonnunquam praedicatum non cum subjecto grammaticali, sed cum genitivo, qui per statum constructum subjecto annexus est (subjecto logico), congruit praeprimis si nomen prius est adjectivum, uti جَمِيعٌ, كُلٌّ cum synonymis (vide § 68, A, 1. c. β) v. g. كُلُّهُمْ مَاتُوا omnes ii mortui sunt, كَمْ مِنْ فِئَةٍ قَلِيلَةٍ غَلَبَتْ فِئَةً كَثِيرَةً quotus exercitus parvus vicit exercitum magnum? vel: إِنَّ رَحْمَةَ ٱللّٰهِ قَرِيبٌ sane misericordia Dei propinqua est.

Not. Hae regulae de tertiis tantum verbi personis valent; primae etenim et secundae personae cum subjecto in genere et numero conveniunt; prima persona e lege constante secundae, secunda tertiae praecedit, v. g. جِئْنَا أَنَا وَأَنْتَ venimus ego et tu.

§ 76. D. De variis enunciationis simplicis formis.

1. De enunciatione negativa.

Agitur hic de negatione totius enunciationis, quae fit per particulas negativas.

1. Particula لَا utuntur in negatione subjectiva ante modum gezmatum (§ 62. 4.) et energicum (§ 63.). In juramentis, votis et imprecationibus لَا cum perfecto construitur interjectionis ratione, ut: لَا بَارَكَ ٱللّٰهُ فِيكَ non benedixerit tibi Deus! vel وَٱللّٰهِ لَا عَصِيتُ رَبِّي per Deum! non adversabor domino meo. Saepissime et Aoristo II. praeponitur, si dicitur de

re praesenti, ut لَا يَعْلَمُ non novit, aut de futura sine ulla emphasi, ut سُبْحَانَ ٱلَّذِى لَا يَزُولُ مُلْكُهُ laus sit ei, cujus regnum non desinet.

2. لَنْ (ex لَا أَنْ) ortum fortius rem futuram negat et cum subjunctivo construitur (§ 61, 2.); لَمَّا vero et لَمْ necessario Aoristo ǵezmato praeponuntur (§ 62, 4.).

3. مَا proprie pronomen quid? ad negationem aliam traductum est, usurpatur autem tantum ante praedicatum vel ejus loco positum; praeprimis locum habet ante voces negationem restringentes: إِلَّا nisi, غَيْرُ praeter, حَتَّى donec, إِلَى أَنْ usque dum, مُنْذُ e quo, قَطُّ unquam, وَلٰكِنْ sed, مِثْلُ instar, nonnunquam post juramentum وَٱللّٰهِ per Deum! Dicitur مَا raro de perfecto, de praesenti vero et futuro tempore saepius, v. g. مَا أَخَافُ مِنْكَ non timeo abs te.

4. Ad negationem traducta quoque est particula إِنْ (heb. אַיִן), ast nonnisi in sermone vivo tum ante Aoristi II. indicativum tum ante perfectum, v. g. أَيَا ٱللّٰهُ إِنْ أَفْعَلُ هٰذَا ٱلْفَعَالَ o deus, non faciam hanc rem! Nonnunquam emphatice ad مَا accedit, v. g. مَا إِنْ رَأَيْتَ haudquaquam vidisti! praeprimis in sermone poëtico et elato.

5. لَيْسَ particula, quae per se poni potest, ad singulam enunciationis partem negandam adhibetur et aut perfecto raro quidem, aut Aoristi II. indicativo praeponitur, ut neget praesens aut futurum, v. g. لَيْسَ يَعْنِى بِهِ non intelligit eo; vel كَانَ ٱلنَّبِىُّ لَيْسَ بِٱلطَّوِيلِ وَلَا بِٱلْقَصِيرِ erat propheta nec procerus nec brevis.

6. Quodsi enunciationi negativae (لَنْ, مَا, لَمْ, لَمَّا et لَيْسَ imo غَيْرُ) nova per copulam وَ subnectitur, primitiva negationis particula لَا in hac posuisse sufficit; si autem nova enunciatio recenti vi orditur, eadem negativa particula semper repetitur.

§ 77. 2. De enunciatione interrogativa.

Enuncatio interrogativa in lingua arabica non tono tantum, sed et particulis quibusdam exprimitur.

1. Simplici interrogativo أ respondet subjuncta vox أَمْ, hinc أَزَيْدٌ أَمْ عُمَرُ utrum Zaidus an Omar? raro أَمْ per se ab initio ponitur. — هَلْ fortius est interrogativum praeprimis in quibusdam locutionibus perpetuum, ut: هَلْ لَكَ فِيهِ placetne tibi? — أَلَا nonne? particula composita rem alacrius affirmat ac imperativo, jussivo et paragogico modo praeponitur, v. g. أَلَا قَبَّحَ ٱللّٰهُ وَجْهَكَ nonne (sane) foedet deus faciem tuam!

2. Composita particula هَلَّا vel أَلَّا (ex هَلْ vel أَنْ et لَا) quid non? cum perfecto juncta est increpantis, excitantis et reprehendentis, v. g. هَلَّا أَعْلَمْتَنِي cur non certiorem me fecisti? Emphatice etiam imperativo, jussivo et modo energico praeponitur.

3. Pronomina interrogativa مَنْ et مَا (§ 56.) tum accusativi, tum genitivi loco ponuntur, ut مَنْ قَتَلْتَ quem occidisti? بِنْتُ مَنْ أَنْتِ cujus filia es? imo in nominativo absoluto praeponi possunt, v. g. مَنِ ٱلَّذِى أَمَرَ quis est, qui jussit.

Quamvis casus, genus et numerus in his pronominibus haud distinguuntur eaque semper cum singulari masculino construuntur, licet tamen, si diserte de femina vel pluribus sermo est, verbum in feminino aut in plurali numero adjungere, v. g. مَنْ كَانَتْ أُمُّكَ quaenam fuit mater tua? et مِنْهُمْ مَنْ يَسْتَمِعُونَ إِلَيْكَ ex eis sunt qui tibi obsequuntur; et similiter مَا cum fem. construitur, si poëta nomen femininum diserte annuit. De pronomine interrog. أَيّ vide § 56. 4.

§ 78. 3. De enunciatione interjectionali.

Potest interjectio A. aut una tantum voce abruptius prolata contineri, B. aut integram enunciationem regere.

A. 1. Vox haec abrupte dicta ponitur sine particulis aut in nominativo simpliciter, ut سَلَامٌ عَلَيْكَ pax tibi! aut in accusativo, ut سَلَامًا pacem! (vide § 69, B. II) aut repetitur ad fugiendum aliquid, v. g. ٱلْأَسَدَ ٱلْأَسَدَ leonem leonem! (i. e. a leone cave tibi!)

2. Particulae interjectioni inservientes sunt يَا et وَا (quas vide § 70) لَعَلَّ et لَيْتَ (vid. § 69. B. II. 2) nonnunquam et مَا quid? huic usui inservit, v. g. قَلِيلًا مَا quam parum! praeprimis ante adjectiva relativa in accusativo jungenda, v. g. مَا أَعْلَمَنِي quam scientissimum me!

B. 1. Verba, quae vim interjectionalem prae se ferunt, sunt verba admirandi, vituperandi et fastidiendi, ut: نَعِمَ pulcher est (euge!) et بَئِسَ malus est (phy!), quae in tertia persona saepe interjectionum loco sunt (nonnunquam plur. نِعْمُوا et dual. نِعْمَا), quibus praepositis succedit nominativus ut subjectum, v. g. نِعْمَ ٱلرَّجُلُ gratus est vir i. e. euge virum! بِئْسَ ٱلْمَسِيرُ o pessimum iter! Si nomen est per aliud definitum seu nomen proprium, nomen simplex cum articulo autem munitum interponitur, v. g. نِعْمَ ٱلْعَبْدُ عَبْدُكَ quam malus servus est servus tuus! نِعْمَ ٱلرَّجُلُ زَيْدٌ quam bonus (vir) est Zaidus!

Not. Rarius invenitur nexus horum verborum cum subjecto indefinito aut cum objecto in accusativo posito.

2. Pertinent huc jurandi formulae per بِ (§ 72. A. 3. a) per وَ et تَ (72. A. 3. b). Actio, quam quis juramento interposito efficere vult, cum لَ affirmativo notatur, v. g.

وَٱللّٰهِ لَأَقْتُلَنَّهُ per Deum, profecto eum interficiam! in negativo juramento لَا locum hujus لَ affirmativi occupat.

3. Inter particulas affirmandi et respondendi pertinent:

a) نَعَمْ vel نَعِمْ ita, sane, qua quis se enunciationi assentiri fatetur; rarius loco نَعَمْ ponitur بَجَلْ satis, bene.

b) بَلَى graviter affirmat rem negatam vel dubitatam, v. g. ظَنَّ أَنْ لَنْ يَحُورَ بَلَى putavit se non rediturum esse utique (redibit)! e contra أَجَلْ simpliciter affirmat.

c) كَلَّا opposita particulae بَلَى latinum „nequaquam" aequat; in Corano tamen saepius graviter affirmare videtur negando scilicet opinionem aliorum, ut: كَلَّا سَيَعْلَمُونَ nequaquam cognoscent eum (praecedente sermone: disceptant inter se de die judicii.)

II. De enunciatione annexa.

§ 79. 1. De enunciatione comparativa.

1. **Comparativus** exprimitur forma elativa أَفْعَلُ sequente praepositione مِنْ (§ 72. A. 1. a. ε), v. g. هِيَ أَصْدَقُ مِنِّي ea est justior, quam ego. Cum forma haec praedicati loco est posita, adjectivum elativum articulo plerumque caret; munitur autem articulo, si elativum adjectivi instar substantivo apponitur, ut: ٱلْمَدِينَةُ ٱلْكُبْرَى urbs major. Raro مِنْ omittitur.

Not. a. Praepositio مِنْ cum nomine comparato semper elativo postponenda est, nec, nisi quae proxime ad elativi notionem describendam sunt necessaria, ante مِنْ inseri possunt, v. g. زَيْدٌ أَكْثَرُ مَالًا مِنْ عَمْرٍو Zaidus ditior opibus est Amro.

Not. b. Adjectiva, quae qualitatem inhaerentem denotant (uti colorem, habitum etc.), comparativi sensum exprimunt praeposito:

أَشَدُّ vel أَكْثَرُ, أَكْبَرُ etc., v. g. أَشَدُّ حُمْرَةً fortior rubedine i. e. magis ruber.

Not. c. Si duae res secundariae seu enunciationi subjectae inter se comparantur, post مِنْ, quia solitario poni nequit, necessario subjectum in suffixo repetendum est, ut: هُمْ لِلْكُفْرِ أَقْرَبُ مِنْهُمْ لِلْإِيمَانِ ii ad abnegationem propriores sunt, quam ad fidem. Ubi vero comparativum مِنْ non ad subjectum redit, brevior locutio sufficit.

2. Superlativus exprimitur: a) eadem forma elativa أَفْعَلُ α) sequente genitivo substantivi definiti, v. g. أَكْبَرُ ٱلنَّاسِ maximus hominum, imo β) sequente genitivo substantivi indefiniti, v. g. أَفْضَلُ رَجُلٍ optimus vir, nam hic elativus substantivi loco praeponitur in universum (cf. § 68. B. 2. A. c. Not. a.) aut γ) accedente solo articulo, qui apto loco, ubi copiae totius comparatio facile suppletur, unum hunc e tota copia insignit, ut: هُوَ ٱلْأَكْبَرُ iste est (ille) maximus vel أَنْتُمُ ٱلْأَعْلَوْنَ vos estis summi.

Not. Rarissime ex antiquae linguae simplicitate elativi loco adjectivum simplex cum articulo ponitur, ut: ٱلصَّغِيرُ مِنْهُمْ minimus eorum (pro أَصْغَرُهُمْ).

b) modo extraordinario etiam sequenti ratione exprimi potest:

α) per substantivum genitivo ejusdem nominis in plurali cum articulo muniti praepositum, v. g. قَاضِي ٱلْقُضَاةِ judex judicum i. e. summus judex.

β) per substantivum cum adjectivo ejusdem radicis compositum, v. g. لَيْلٌ أَلْيَلُ nox aterrima, يَوْمٌ أَيْوَمُ dies clarissimus, شِعْرٌ شَاعِرٌ carmen dignissimum; similiter in adverbiis, ut: جِدًّا جِدًّا vehementissime.

γ) per circumscriptionem, qua simplici elativo voces sensus generalioris subjunguntur, v. g. أَحْسَنُ مَا يَكُونُ

pulchrius quodcunque est i. e. pulcherrimum omnium. هَذَا ٱلْبَيْتُ أَحْسَنُ مَا أَوَيْتُ haec domus est optima quam inhabitem.

§ 80. 2. De enunciatione relativa.

Praeter ea, quae jam § 55. de pronomine relativo sunt dicta, notari debent:

1. Pronomen relativum per se positum, cum substantivi loco sit, substantivi vim et juncturam tenet, v. g. ٱلَّذِى قَالَ هَذَا زَيْدٌ qui dixit hoc, est Zaidus; aut adjectivi vice substantivo praecedenti determinato adhaerens ejus structuram plane sequitur, v. g. ٱلْقُلُوبُ ٱلَّذِينَ آمَنُوا corda eorum, qui crediderunt; hinc non solummodo genus et numerum, sed et casum nominis servat, v. g. فِى زَمَنِ ٱلْمَلِكَيْنِ ٱلَّذِينِ تَقَدَّمَ ذِكْرُهُمَا tempore duorum regum, quorum praecessit mentio.

2. In junctura praedicati et subjecti relativa haud una est dicendi ratio; aut

a) subjectum enunciationis relativae ponitur in nominativo α) cum suffixo, v. g. رَجُلٌ حَسَنٌ وَجْهُهُ vir, cujus facies pulchra est seu vir pulcher facie, β) vel cum articulo رَجُلٌ حَسَنٌ ٱلْوَجْهُ, vel simpliciter γ) cum nomine definito: أَلرَّجُلُ ٱلْحَسَنُ وَجْهٌ; aut frequentius

b) in genitivo et quidem α) vel cum articulo رَجُلٌ حَسَنُ ٱلْوَجْهِ, vel β) sine articulo رَجُلٌ حَسَنُ وَجْهٍ, vel γ) cum nomine definito simul cum articulo أَلرَّجُلُ ٱلْحَسَنُ ٱلْوَجْهِ; aut

c) in accusativo sine articulo et quidem α) simpliciter, ut: رَجُلٌ حَسَنٌ وَجْهًا, vel β) cum nomine definito أَلرَّجُلُ ٱلْحَسَنُ وَجْهًا, vel γ) cum suffixo praecedente nomine definito, ut: أَلرَّجُلُ ٱلْحَسَنُ وَجْهَهُ.

3. Vices relativi gerunt مَنْ et مَا, أَيٌّ cum compositis أَيُّمَنْ quicunque et أَيُّمَا quidcunque, quae semper ab initio enunciationis relativae substantivorum loco ponuntur et structuram relativorum subeunt, v. g. أَيٌّ دَعَانِي إِلَيْهِ ad quemcunque me invitavit.

4. Huc referenda est conjunctio vi relativa insignita أَنْ „ut", qua integra enunciatio alio referatur; jungit autem

a) theses ita, ut ab integra enunciatione pendeat eamque compleat et construitur, si simpliciter enunciationem ut relativam jungit, cum indicativo, v. g. أَلْزَمَهُ أَنْ خَرَجَ, coëgit eum exire, aut, si simul consilii et sensus subjectivi notionem includit, cum subjunctivo, praeprimis post verba timendi, putandi et similia, v. g. قَدْ خِفْتُ أَنْ لَا يَنْزِلَ ٱلْمَطَرُ timeo, ne descendat pluvia; item post verba cavendi, impediendi, amovendi, abscondendi, obliviscendi, fugiendi etc.

Not. Post verba cavendi et impediendi أَنْ simul negationem infert et respondet Latinorum particulae „ne", v. g. مَنَعَهُمْ أَنْ يَقُولُوا impedivit eos, ne dicerent; si autem enunciatio per copulam continuatur, semper deinceps وَلَا (neque) substituitur, licet autem et laxius أَنْ لَا (vel أَلَّا) ponere.

aut b) أَنْ enunciationem integram ad unam vocem singulam refert, quae juncturae causa voculam relativam ut vinculum adsciscit; ejusmodi vox singula est plerumque praepositio, ut بَيْنَ أَنْ dum, aut adverbium, v. g. إِلَّا أَنْ nisi ut, لِئَلَّا ut ne, إِمَّا أَنْ sive ut.

§ 81. 3. De enunciatione copulativa.

1. Particulae copulativae sunt وَ et فَ (§ 50); فَ e notione sua sententias multo saepius nectit, quam nomina singula et si quando haec connectit, semper consequentiam simul temporis

notat; وَ nonnunquam societatem denotare potest, qua ratione respondet latino „cum“, v. g. جَآءَ ٱلْمَلِكُ وَعِبَادُهُ venit rex cum servis suis. Quodsi personae in verbo finito jam dictae nova annectitur, pronomen illius repetitur, v. g. أَتَى هُوَ وَأَصْحَابُهُ venit cum sociis suis. Suffixum objecti post copulam ponendum aut verbo repetito annectitur, aut etiam particulae إِيَّا jungi potest, v. g. قَتَلَهُ وَقَتَلَهَا occidebat eum et eam vel قَتَلَهُ وَإِيَّاهَا. Nomen in statu constructo ponendum ante quamvis copulam repetitur, si res diversae copulantur, secus genitivi sese statim excipere possunt, quod et valet ad praepositiones, quae tamen, si ab initio suffixo tantum junctae erant, repetuntur, v. g. لِي وَلِأَخِيهِ mihi et fratri ejus; similiter ante novum suffixum, v. g. بَيْنَهُ وَبَيْنَهُمْ inter eum et illos.

Not. a. Si vero idem genitivus ad plura nomina nexa pertinet, priori statim genitivus additur et in sequentibus repetitur, v. g. بَنُو ٱلْمَلِكِ وَبَنَاتُ ٱلْمَلِكِ aut per suffixum suppletur, v. g. بَنُو ٱلْمَلِكِ وَبَنَاتُهُ filii filiaeque regis.

Not. b. In enunciatione negativa pro وَ semper distinctius وَلَا repetitur, v. g. لَمْ يَبْقَ أَبِي وَلَا أُمِّي non superstes est pater et (nec) mater mea.

Not. c. Copulae hae etiam in enunciatione adversativa usurpantur, nec non ibi ponuntur, ubi nos subjunctionem amamus, v. g. رَكَعَ فَأَطَالَ inclinavit se et prolongavit i. e. diu se inclinavit.

2. Saepe enunciationes, quae actionis vel rei conditionem et statum depingunt, copula simplicius subnectuntur, v. g. قَالَ وَهُوَ وَاقِفٌ dixit (et is) stans, aut وَأَنَّى وَإِنِّي مُكَرَّمٌ et quomodo (id fiat) cum ego honoratus sim?

Not. In brevioribus subjunctio est aptior; hinc et قَالَ وَاقِفًا (vid. § 69. B. 1. c.)

3. فَ triplicem usum habet:

a) ab enunciationis initio consequentiam actionis designat; hinc: قَالَ كُنْ فَكَانَ dixit fiat, et (tunc) factum est; correspondet prorsus hebraeo Vau conversivo.

b) orationi inceptae necdum perfectae resumendae inservit, ubicunque novo impetu ordiri placet, فَإِيَّايَ فَٱتَّقُونِي me igitur, me timete! saepissime sequitur post أَمَّا „quod attinet ad".

c) post protasin a particula temporis vel conditionis incipientem apodosin introducit (germ: so).

Not. a. Non raro occurrit nexus sive vocis sive enunciationis sine copula (asyndeta) propter vim et properantiam insignem praeprimis post jussivum imperativo respondentem, v. g. عَامِلُوا تَجِدُوا laborate, inveniatis, quo occultatur consequentia: laborate, ut inveniatis.

Not. b. Huc spectat et ثُمَّ particula usurpata praeprimis in sententiis repetendis; in actionum progressu notat intervallum quoddam temporis, et إِنَّ causam denotans (nam), quae frequentissima per se tanta vi praedita est, ut in novo sermone auditores excitet, v. g. إِنَّ رَبَّكَ هُوَ أَعْلَمُ en dominus tuus est sapiens; plerumque et فَإِنَّ „etenim" dicitur (conf. § 69. B. 2. a.)

§ 82. 4. De enunciatione conditionali.

Particula conditionalis إِنْ conditionem simplicem denotat et cum perfecto construitur, si conditio in rebus futuris vertitur, utpote quas futuro tempore jam factas nostra mente conspicimus, ut نَفْعَلُ ذَٰلِكَ إِنْ شَاءَ ٱللَّهُ faciemus illud, si Deus voluerit (voluit); in negatione semper لَمْ ponitur.

Not. Si protasin conditionalem apodosis sequitur, idem perfectum etiam ad apodosin transferri potest, v. g. إِنْ فَعَلْتَ ذَٰلِكَ قَتَلْتُكَ si feceris hoc, interficiam te.

Exinde fluunt:

a) Ad perfectum vere praeteritum indicandum, quum lingua arabica in tempore modisque distinguendis sit diligentissima, كَانَ praeponitur, v. g. إِنْ كَانَ فَعَلَ si fecit; in apodosi perfecto قَدْ praeposuisse satis est.

b) ad praesens notandum, Aoristo II. كَانَ annectitur, ut: إِنْ كُنْتُمْ تُحِبُّونَ ٱللّٰهَ فَٱتَّبِعُونِى si Deum amatis, obsequimini mihi.

2. Cum jussivo إِنْ construitur, ut conditionem magis e loquentis animo sumtam indicet, hinc praesertim constructio haec obtinet in conditionibus disjunctivis إِنْ — أَوْ sive-sive. (§ 62. 2.)

3. Cum apodosis omnium enunciationum conditionalium arctissime protasi sit juncta adeoque per se jam consequentiae notionem includat, فَ consequentiae particula nunquam praeponitur; annecti autem debet فَ apodosi, a) si apodosis verbo caret aut verbum ab initio poni nequit, cum incipiat ab إِنَّ, سَ, قَدْ vel negativis مَا et لَنْ, quo modo indicativus Aoristi II. ponitur, v. g. مَنْ نَكَثَ فَإِنَّمَا يَنْكُثُ عَلَى نَفْسِهِ qui perjurus est, perjurus erit tantum contra se ipsum; b) si verbum, quamvis ab initio ponatur, non eo tamen sensu atque vi, quam in arcta junctura haberet, hinc si apodosim imperativus vel praeteritum, vel praesens incipit, v. g. إِنْ حَاجُّوكَ فَقُلْ si tecum disputent, dic, vel verba defectiva لَيْسَ et عَسَى, quae nonnisi in praeterito occurrunt, et c) post وَإِلَّا „et nisi".

Not. Si emphaticum istud لَ conditionem orditur, modus energicus sine فَ in apodosi sequitur, v. g. لَئِنْ لَمْ يُجِبْ لَيُقْتَلَنَّ profecto, si non parebit, interficietur.

4. Particula لَوْ non simplicem conditionem, sed hypotheticam notat scil. eam, qua rem non adesse loquens se scire

indicat et ab فَ distinguitur, quod apodosis fere semper a لَ orditur; si verbum accedat, perfecto effertur, quod et in apodosi redit, v. g. لَوْ تَرَكْتَ ذَلِكَ لَكَانَ أَنْفَعَ si relinqueres hoc, id utilius esset; saepissime de re praeterita locutio haec occurrit, v. g. لَوْ هَدَانَا ٱللّٰهُ لَهَدَيْنَاكُمْ si deus nos direxisset, certe nos vos direxeramus.

Not. a. Libenter verbum وَدَّ amavit cum لَوْ componitur sequente futuro, v. g. وَدُّوا لَوْ يُضِلُّونَكُمْ cupiunt vos in errorem inducere.

Not. b. Negatio in apodosi non ponitur, nisi مَا et لَمَّا.

Not. c. لَوْ haud raro أَنَّ assumit; لَوْلَا „nisi“ cum nominativo subjecti construitur, cum verbum in infinitivum transeat, v. g. لَوْلَا قُدُومُكَ عَلَيَّ لَكُنْتُ هَلَكْتُ nisi fuisset adventus tuus (advenisses) ad me, perieram.

APPENDIX.

De lingua arabica vulgari.

§ 83. Praemonenda.

Lingua arabica in praecedentibus foliis evoluta Corano est propria et grammaticalis seu literalis vocatur in distinctionem linguae arabicae vulgaris, quae nunc temporis adhuc est usitata et indigenis Arabiae, Palaestinae, Syriae nec non Aegypti Africaeque septentrionalis est vernacula. Haec lingua vernacula in essentia sua seu in fundamentis suis eundem characterem servavit forma externa tamen paululum mutata et reliquarum linguarum vivarum instar in plures dialectos in singulis regionibus usitatas diffluxit. Ut discrimen, quod linguam literalem inter et vulgarem intercedit, breviter tangamus, Arabes cultura et mercatura in dies progrediente et florente multas voces ex aliis linguis, puta turcam, adoptarunt, e contra plures expressiones antiquas aut neglexerunt aut earum significationes primitivas mutarunt. Generatim vocalium signa non scribuntur, si excipias puncta diacritica nec non etsi raro vocales, ubi sunt necessariae, ne confundantur voces aut sensus; vocales breves ac terminationes finales non pronunciantur, quo fit, ut vocabula singula evadant contractiora et breviora et ipsa lingua difficilis sit intellectu.

In sequentibus notasse sufficiat, quanam speciali ratione lingua vulgaris discrepet a literali, omissis iis, quae utrique linguae conveniunt.

Legere juvat opera haec notata:

1. Flores grammaticales arabici idiomatis, Romae 1845. Typis s. Congregationis de Prop. Fide.
2. Grammaire arabe vulgaire par A. Caussin de Perceval. Troisième edition. Paris 1843.
3. Grammaire élémentaire d'arabe vulgaire par Pharaon. Toulon 1832.
4. Cours de l'Arabe vulgaire par A. Gorguos. Paris 1851.
5. Grammatica linguae arabicae vulgaris nec non literalis a De Savary. Paris 1813.
6. Principes de la Grammaire arabe à l'usage des écoles de Français en Orient par L—X. A. S. J. Beyrouth 1862.
7. Practisches Handbuch der neuarabischen Sprache von Adolph Wahrmund. Giessen 1861.

§ 84. De Literis.

Litera Hamza, quando vices vocalis longae gerit aut cum literis gutturalibus et emphaticis est conjuncta, uti a pronunciatur, v. g. أفضَل afḍal; in pluribus Syriae regionibus ut e (mixtum ex a cum i=aî), v. g. كلاب k'leb (canis).

Litera ث ab aliis ut s, ab aliis iterum uti t effertur, v. g. ثلاثة (tlateh = tres) et حديث (ḥadis colloquium).

ج in Aegypto forti gaudet sono, v. g. جمل (gemel camelus), in reliquis partibus autem molli ǵ, hinc ǵemel.

ذ in lingua usuali confunditur aut cum د, v. g. بذلة (bedleh vestis), aut cum ز uti: رذيل (rezil vilis).

ق diverse pronunciatur: a ruricolis ut ك intensivum, ab oppidanis ut Hamza intensivum, a Beduinis uti g forte et rursus ab aliis ut ك gutturale.

ة effertur uti h; ة autem in lingua vulgari ante genitivum tantum sonum t habet, v. g. ديرة حلب (diret Ḥaleb = territorium Aleppi), secus in fine semper et quidem post literas gutturales et emphaticas ut a, post reliquas uti e pronunciatur, v. g. كبيرة (kbire magnus), طاعة (ṭa ʿa obedientia); imo in Syria praeprimis in Kesruan districtu uti i effertur, v. g. سكّينة (sikkini = culter).

ـَوْ sonat o, v. g. يوم (jom = dies) et ـَيْ uti ê, v. g. ليلة (lêla nox).

§ 85. De Vocalibus.

In pronunciatione ordinaria singulae vocales breves fere nunquam tonum purum et distinctum habent; generaliter vocalis prima vocum, quae cum syllaba simplici incipiunt, supprimitur, v. g. فطور fṭur pro faṭur (jentaculum); nonnunquam ante primam consonantem vocalis e auxiliaris seu muta assumitur, qua pronunciatio reddatur facilior ac gratior, v. g. مقدّم emkaddem (gubernatŏr).

Vocales finales sive simplices, sive per nunnationem reduplicatae, quae in lingua literali casus nominum, personas modosque verborum indicant, in lingua usuali non plus audiuntur exceptis in versibus eorumque mensuris recitandis, et si ejusdem pronunciatio est necessaria ad genus femininum distinguendum, v. g. يرميك (jermiki).

§ 86. De Pronominibus.

A. Personalia a. separata.

Sing.

1. p. انا (ana)

2. p. { masc. انت (ant—ent)
{ fem. انتى (anti—enti)

3. p. { masc. هو (hua—hu)
{ fem. هى (hie—hi)

Plur.

1. p. نحن (naḥne—neḥn)

2. p. { masc. انتم (antom—entum) vel انتو (entu)
fem. انتنّ (antonna, entonna)

3. p. { masc. هم (hom)
fem. هنّ (honne, honn)

b. Suffixa.

Sing.		Plur.	
1. p.	ى (i) vel نى (ni)	1. p.	نا (na)
2. p.	masc. ك (ak) fem. ك (ik, ek)	2. p.	كم (kom)
3. p.	masc. ه (oh—h) fem. ها (ha)	3. p.	هم (hom)

Notanda.

1. Vocalis suffixi 2. pers. sing. mascul. et femin. ad ultimam consonantem, qua terminatur vox, transfertur, hinc عبدك abdak (masc.) et abdik (fem.) servus tuus; si autem vox in vocalem longam desinit, suffixum simpliciter k pronunciatur, v. g. ابوك abuk pater tuus; quod et locum habet in suffixo 3. pers. sing. masc. ه v. g. ضربه (ḍaraboh) percussit eum et ضربوه (ḍarabuh) percusserunt eum.

2. Suffixa particulis quibusdam juncta vices gerunt verbi abstracti et pronominum separatorum, v. g. اينك (einak) ubi tu es? Inter suffixum primae et secundae personae ac negationem ما litera ن inseritur, v. g. مانك رايح (mânak râjeḥ) non procedis.

3. Pro singulari 1. et 2. personae saepe, praeprimis in epistolis et diplomatibus pluralis substituitur.

4. Pronomina separata personalia supplent tempus praesens verbi abstracti (esse), v. g. انا مبسوط (ana mabsuṭ) ego sum contentus.

5. Suffixa cum praepositionibus ل, مع (mâ) „cum“ et عند (ând) „apud“ juncta inserviunt verbo habendi exprimendo; hinc معى (mâï) vel عندى (ândi) habeo.

معك (mâak) vel عندك (ʿandak) habes etc.

§ 87. B. Pronomina demonstrativa.

Sing.	هذا (hasa) hic	هذاك (hasâk) ille
	هذه (hasih) haec	هذيك (hasîk) illa
Plur.	هولاء (haulaï) hi	هولايك (haulaîk) illi.

Notanda.

1. Haec pronomina ad nomina articulo semper definita accedunt. Amant Arabes literam ه hujus pronominis conjungere cum ل articuli suppressis omnibus literis intermediis; hinc هذا الكتاب (hal-kitâb) hic liber, ac si scriptum esset هلكتاب. Nonnunquam litera ه excidit et pronomen tali modo decurtatum nomini aut praeponitur, ut ذا الكتاب (da el-kitâb), aut postponitur, ut: الكتاب ذا (elkitâb da).

2. Contractione hujus pronominis cum articulo facta non raro pronomen post substantivum repetitur, ut: هلكتاب هذا (hal kitâb hada) ad emphasim pronominis augendam.

§ 88. C. Pronomen relativum.

Sing. الّذى (elledi) qui	Plur. com.
الّتى (elleti) quae	الّذى vel الّذين (elledi vel elledîn) qui-quae.

Notanda.

Forma abbreviata communis est الّى (elli) vel ال (ell=el); casus obliqui sicut in lingua literali per suffixa indicantur.

§ 89. D. Pronomina interrogativa.

1. من quis? pronunciatur „men, mun“, imo et „min“ saepe additur pronomen personale 3. pers. sing. uti: من هو vel منو (menhu vel munu aut mnu).

2. ما (ma) quid? vel frequentius ايش (eś) et اش (aś) abbreviatum ex اىّ شىء qualis res? In Syria etiam dicitur ايش هو (eśhu) vel شو (śu).

3. اىّ (ei) qualis pro masc. et ايّة (eit) pro femin. aut اينا (eina) communis generis simpliciter positum vel compositum: ايناهو (einahu) masc. et ايناهى (einahi) femin.

§ 90. E. Pronomina possessiva.

Suffixa inserviunt possessioni exprimendae, ut: كتابى (kitabi) liber meus; saepe tamen, si de rebus agitur, substituuntur nomina: بتاع (btá) vel متاع (mtá) proprietas, مال (mâl) res et حق (ḥaḳ) jus, quae substantivis articulo munitis postponuntur, v. g. الكتاب بتاعى (el kitab btâï) liber hic proprietas mea i. e. liber meus.

§ 91. F. Pronomina reflexiva.

Pronomina reflexiva supplentur sicut in lingua literali per substantiva نفس (nefs) anima, روح (rûḥ) spiritus, ذات (ḏat) essentia, حال (ḥâl) status cum suffixis correspondentibus, v. g. قتل حاله (ḳatal ḥâloh) interfecit se ipsum.

Not. Saepe post suffixa pronomina personalia repetuntur ad reflexionem indicandam, v. g. لى انا mihi ipsi, له هو sibi ipsi.

§ 92. G. Pronomina indefinita.

1. quidam واحد (uâḥed), quaedam واحدة (uâḥedat)
2. quicunque كل واحد (kol uâḥed), quaecunque كل واحدة (kol uâḥedat).
3. nemo ولا واحد (uala uâḥed), nil لاشى (la śai)
4. omnis كل (kol).

§ 93. De Verbo.

Aorist. I.

Sing. 3. p. m. قتل (ḳatal) f. قتلت (ḳatalet)
2. p. „ قتلت (ḳatalt) f. قتلتى (ḳatalti)
1. p. com. قتلت (ḳatalt).

Plur. 3. p. com. قتلوا (katalu)
2. p. „ قتلتوا (kataltu)
1. p. „ قتلنا (katalna)

Aorist. II.

Sing. 3. p. m. يقتل (jektol) (yktol) fem. تقتل (tektol)
2. p. „ تقتل (tektol) fem. تقتلي (tektoli)
1. p. com. اقتل (aktol)
Plur. 3. p. „ يقتلوا (jektolu) (yktolu)
2. p. „ تقتلوا (tektolu)
1. p. „ نقتل (nektol)

Imperativ. Sing. 2. p. masc. اقتل (ektol)
fem. اقتلي (ektoli)
